TUMULUS
S. P. AUGUSTINI,

Magni Eccleſiæ Magiſtri, ac Auguſtiſsimi
Ticini Regij Protectoris,

DISSERTATIONE HISTORICO-CANONICA

ILLVSTRATVS

AUTHORE
MAGISTRO
F. JULIO BAUDINO
A CUNEO
Sac. Theologiæ Profeſſore, ac in Ticinenſi
Monaſterio Studiorum Regente.

IVSSV

REUER.^{MI} P. MAGISTRI

ANTONIJ PACINJ

RAUENNATIS,

Totius Ordinis Eremitarum S. Auguſtini
Prioris Generalis.

Oſſa illius VISITATA SVNT, & poſt mortem propheta-uerunt Eccleſ. cap. 49. Et erit Sepulcrum illius glorioſum. Iſa. cap. ij.

TICINI REGIJ 1698. Die 15. Aprilis.

Ex Typographia Jacobi Andreæ Ghidini, Impreſſ. Epiſcop.

IMPRIMATVR.

F. Io: Maria Gallus Vic. Sancti Officij Papiæ.

IMPRIMATVR.

T. A. Sottus Vic. Gen.

APPARATUS AD OPUS.

QUI abſconditas à tot Sæculis Magni Parentis contemplatur exvvias, alterum novi Teſtamenti Moyſem credet; cum, & ei congruat illud *Deuter* 34. *& non cognouit homo Sepulcrum eius*. Non ita tamen nos latet Magnus Eccleſiæ Magiſter, vt eum non videamus; ſed quia, vt olim contigit tribus illis Diſcipulis Emmaus, ambulantibus cum Chriſto, oculi noſtri tenentur, ne benè videant. Itaque, vt olim *Ambroſius tom. 3. lib. 10. Epiſt. 85. ad Sororem ſuam*, in qua deſcribit inventionem Corporum Sanctorum Geruaſij, & Prothaſij, verſus finem, ait: *Euaſimus Fratres non mediocrem pudoris ſarcinam, Patronos habebamus, & neſciebamus*, nos, & ingentem geſtamus verecundiæ molem, qui Auguſtini Corpus palpamus, videmus, ac neſcimus. Satis probauit Sanctus Doctor veritatem dictorum Corporum ſub his verbis: *Eruuntur nobiles Reliquiæ Sepulcro ignobili, oſtenduntur Cælo trophæa, ſanguine tumulus madet, apparent cruores triumphales, notæ inuiolatæ, Reliquiæ loco ſuo, & ordinatæ repertæ, auulſum humeris Caput*. Noſtri verò Marmoream Scuroli Arcam fortuitò excruſtant, illius latera comminuunt, argenteam in ea incluſam capſam penetrant, velum abigunt, vaſa, ſanguine tincta introſpiciunt, Corpus inueniunt, ac auulſum humeris Bracchium, Alchenoto, Cantvarienſi Epiſcopo traditum, vt videbimus inferiùs, diſcernunt, nec adhuc probant.

De Elena Conſtantini Matre ſcribit idem *Ambroſius d. tom. in Oratione funebri de obitu Theodoſij Imperatoris, ferè verſus finem*, quod ſcrutata Hieroſolymis locum Dominicæ paſſionis non alitèr veram, confuſa inter tria patibula, Crucem reperijt, quæ ruina contexerat, inimicus abſconderat, niſi quia *rediјt ad Euangelij lectionem, inuenit; quia in medio patibulo præfatus titulus erat: Ieſus Nazarenus Rex Judeorum. Hinc collecta eſt ſeries veritatis, Titulo Crux patuit ſalutaris*. E contrà verò Noſtri, Sacratiſſima Auguſtini Oſſa, inter Puteum, ac Altare inferius S. Petri in Cælo Aureo veſtigant, oſtendunt, quod versùs finem ſæculi decimi tertij, Religioſiſſimi DD. Rectores

 Papiæ

Paplæ, eadem ibidem ſecreta manù collocarunt, *ex Sigiberto in lib. de*
laudibus Papiæ, Auenione impreſſo anno 1330. *die* 19. *Septembris*; in-
uentis gloriantur, cum vel geminatum Auguſtini Nomen Gothicis
Caracteribus, primum in cæmenti parte, deindè in craſſitudine oper-
culi Arcæ Marmoreum exaratum exhibeant, nec ſufficit? Miror ſanè
quod cognati Chriſti, aliquandò eum tenere voluerint, cum illius ver-
ba zelo plena, ei verterent in furorem; Teſte *Auguſtino Torniello tom.*
2. *ſexta Mundi ætate, anno Mundi* 4082. *verſus finem*, ſub his ver-
bis. *Cognati verò ſui*, ſcilicet Chriſti, *audientes, quanto cum ſpiritus*
feruore loqueretur ad turbas, volebant tenere eum, putantes, quod in
furorem verſus eſſet; Miror etiam, quod Magna aliqui cum Auguſti-
no propenſione coniuncti, eum planè dimittant, cum omnia, quæ
ad eiuſdem Corporis identitatem demonſtrandam vergunt, aliò di-
ſtorquent.

Hæc ſine veritatis miſeria, quod difficile penetretur, hæc falſitatis fæli-
citas, quod facilè penetret. Quid ergo faciemus? Recedemus? abſit?
Ne enim cauſam Sancti Patris deſeramus, amor filialis expoſcit; Vt
eam pro viribus proſequamur, Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Anto-
nij Pacini, totius noſtri Ordinis Præſulis præſentia, ac ardens Sanctiſs.
Zelo iuſſus impellit. Scimus, quod calamum noſtrum faſtidiet, qui
ſapientiſſima P. D. Michaelis de Collibus ſcripta iam legit; *Quis*
enim, vt ait *Ambroſius d. tom. ſerm* 48. *de Sepultura Domini, conten-*
tus ſit potare de riuulo, cum poſſit haurire de fonte. Terra enim aqua-
rum tenuem rorem omninò non ſuſcipit, poſteaquam eam, largus plu-
uiarum, imber infuderit; Non ex eo tamen abſcondimus, quia nec
amorem, abſcondere poſſumus, nec obedientiam. Id, & nos mouet,
quod licet *Superuacuis laboret impedijs, qui ſolem certat facibus adiu-*
uare, vt *Guilemus Durandus in ſuo ſpeculo Iuris lib.* 1. *p.* 4. *tit. de ad-*
uocato §. *nunc de exordijs num.* 31. non tamen, qui veritatem. Hæc
enim ſæpius examinata, magis eluceſcit. *Cap. fin.* 35. *q.* 9. *& cap.*
inter dilectos, extra de fide Inſtrumentorum, ac diſputando, defæcatior
apparet ex *l. munerum* §. *fin. ff. de muneribus, & honoribus*. Hinc diſ-
ſertationem hiſtorico-Canonicam aggredimur, quæ ſi fortè breuita-
tis metam nimiùm excedit, non ea debet corrigi, ſed cauſa; Nam,
vt cum *Auguſtino lib.* 2. *de Ciuit. Dei cap.* 1. *in princ.* loquamur: *Si*
rationi perſpicuæ veritatis, infirmus humanæ conſuetudinis ſenſus,
non auderet obſiſtere, ſed doctrinæ ſalubri, languorem ſuum, tanquam
medicinæ ſubderet &c. non multò ſermone opus eſſet ad conuincendum

quem-

quemlibet vanæ opinationis errorem. Nunc verò, quoniam ille eſt notior, & tetrior inſipientium morbus animorum, quo irrationales motus ſuos, etiam poſt rationem plenè redditam, quanta homini ab homine debetur, ſiuè nimia cæcitate, qua nec aperta cernuntur, ſiuè obſtinatiſſima peruicacia, qua, & ea, quæ cernuntur, non feruntur, tanquam ipſam rationem, veritatemque defendunt, fit neceſſitas copioſius dicendi plerumque res claras, velut eas non ſpectantibus intuendas, ſed quodammodo tangendas palpantibus, & conniuentibus offeramus.

Hæc ſcribimus, quia aliundè ſcimus, quod melius eſt pauca effundere, quàm multis homines prægrauare, vt dicit *text. in l. 3. §. contrarium C. de veteri iure enucl.*, & ne doctiſſima Epiſcopii Ticinenſis Curia, apud quam non multis eſt opus, ſed efficacibus, vt *Seneca Epiſt.* 38. *ad Lucillum*, obijciat nobis illud *Panor. in Proemio Decret. num.* 4. quod nempè *bona allegatio inficitur, & obnubilatur ob nimiam allegationem, & ſiniſtra oritur ſuſpicio contrà allegantem.* Sit ergo.

DISSERTATIO HISTORICO-CANONICA PRO JDENTITATE RELIQUIARUM S. P. AUGUSTINI.

Inuentarum die 1. Octobris anni 1695. inter Puteum, & Altare inferius S. Petri in Cęlo Aureo Papiæ.

§. I.

Jdentitas Reliquiarum S. P. AUGUSTINI, ex Ordine multiplicis illarum Tranſlationis euidenter oſtenditur.

CUM Vvandali, Alaniquè Hipponem Regium, ſæuiſſima, ac quatuordecim menſium ſpatio, definita obſidione conſtringerent, *anno Domini* 430. vt docet *Eminentiſſimus Cardinalis Henricus de Noris*, Dominus, ac Patronus meus *lib. 2. hiſt. pelag. pag.* 221. Magnus Eccleſiæ illius Antiſtes, Auguſtinus, tertió eiuſdem obſidionis menſe, dies ſuos inter miracula clauſit ex *Spond. ad eumdem annum num. 9. Poſſid. in vita eiuſdem, & Paulo Diacono hiſt. lib. 14. fol.* 431. ac ſepultus fuit in Eccleſia Sancti Stephani eiuſdem vrbis, in qua iacuit annis quinquaginta ſex, ſec. aliquos, vel ſeptuaginta ſex, ſec. alios, vt refert *Oldradus Archiep. Mediolanenſis in Epiſt. ad Carolum Magnum*, quam recitat *Anfoſſius de Sacr. Reliqu. cultu &c. §. 5. num. 3. & Baronius tom. 9. Annalium, anno D.* 725. Cum autem Vvandalica perſecutio Chatolicam aduerſus Africam, à Traſamundo Rege excitari denuò cæpiſſet *anno* 504. tunc, teſte *Spond.* ad eumdem annum *num. 3. accidiſſe perhibetur, vt Hipponenſis Epiſcopus, & alij Prouinciæ Numidiæ Sacerdotes* in Sardiniam deportati, *ferrent ſecum Venerandum Corpus Magni illius, totius Eccleſiæ Chatolicæ Magiſtri, Aurelij Auguſtini, ſimulque eiuſdem Sacri Verticis ornamentum, Mitram Epiſcopalem, & Epiſcopatus inſigne, Baculum Paſtoralem*: Addit autem *Mag. Petrus de Campo lib. 3. hiſt. Generalis* noſtri ordinis *cap. 52. et Dyoniſio Bonfante lib. 13. Triumphi SS. Sardiniæ cap. 25. pag.* 525. illud Sacrum Pignus, Solemni Proceſſione ad Cathedralem Calaris Eccleſiam delatum, in qua ſpatio viginti dierum publicæ patuit pietati, & poſtea ad Eccleſiam noſtri Ordinis, ſuo iam nomine conſecratam, tranſlatum, ac etiam refert quintâ lectio Breuiarij noſtri, in qua de tanta Solemnitate hæc leguntur: *Corpus illud Sanctiſſimum Magno cum gaudio, ac reuerentia cum hymnis, & canticis ſuauè ſonantibus à Sardis in præclara Calarenſium Ciuitate exceptum, illud ad Eccleſiam Cathedralem deportauerunt; Atque deinde in Eccleſia ſui nominis, Fratrum Eremitarum opera, ac induſtria, ab eis ædificata, honorificè collocatum, ac ſepultum eſt.*

Sed nec firmam Calaris ſedem Corpus illud figere potuit; Nam cum Saracenus furor in Sacra etiam Sardiniæ loca inualeſceret, ac ipſa eadem Templorum Sacraria obſcæniſſimis ſordibus aperiret, Piiſſimus Rex Luitprandus, Sacras D. Patris exuuias, ingenti ære redemit, ac *anno 725. ex Baron. in Epitome Spon. ad eumdem annum num. 1. & Mag. Antonio de Iepes in Chron. Bened. tom. 3. cent. 3.* ſub eodem anno, Papiam ad ſe tranſportari curauit, non veró 722. vt vult *Sigonius lib. 3. hiſt. de regno Italiæ pag. 113.* ac *Ciacconius in vita Gregorij II. pag. 206. eadem fere Sigonij* circa annum 721, & ſequentem, verba tranſcribens. Immò dixerim veriùs, quod illam Noui Teſtamenti Arcam transferre ipſemet Rex, ac geſtare non erubuit. Nam vt teſte *Sigonio, eodem lib. ad annum 729. pag.* 121. in fine, *Luitprandus* Romæ ad aram S. Petri profectus, *paludamentum, quo erat indutus, armillas, baltheum, enſem auratum, Coronam auream, & Crucem argenteam ante Auguſtiſſimum Corpus Apoſtoli poſuit*, itaut ei congruat illud *Auguſtini in Epiſt. 42. ad Madaurenſes*, relata ab *Onuphrio Pannino de ſeptem vrbis Eccleſijs cap. 4. fol. 40. verſus finem*, ſic. *Imperij Romani nobiliſſimi Eminentiſſimum culmen ad Sepulcrum Piſcatoris Petri, ſubmiſſo diademate ſupplicat*, ſic cum vſque ad finem agri Dethonentis, in quem Sacratiſſima de ſtatione Genuenſi Arca deuecta erat, appropinquaſſet, depoſitis pariter Regiæ Magnitudinis Inſignijs, nudatoque Capite, & pedibus, vt ſcribit *Oldradus in D. Epiſt.* Regales eidem humeros, enormi pictate ſuppoſuit.

Verùm, vt *Ioannes Magnus in hiſt. Gothorum lib. 16. cap. 2.* de *Clodoueo Francorum Rege*, dum bellum Veſegottis inferret, hæc ſcitù digna ſcribit: *cum igitur in eo prælio nimis vrgeretur Clodoueus, S. Martino equum, cui inſidebat, deuouit, ſi victor euaderet. Voti compos, promiſſum equum offerre non diſtulit. Sed dum eum pretio centum aureorum redimere voluiſſet, nec equus inde moueretur, 3 ducentos impendit, & confeſtim iumentum iam liberum ſequitur expectantem. Tunc Rex ait: Martinus quidem bonus adiutor eſt, ſed ſtipendio pretioſus.* Ita, cum perueniſſet ad prædium Saumariceuſe Arca Auguſtiniana, immobilis ſtetit, donec Luitprandus dictum prædium Deo, & Eccleſiæ B. Petri, ad quam ipſum Corpus deferre volebat, perpetuò habendum tribueret ex *Oldrado in d. Epiſt.* ac Templum ibidem illius nomini ſe conſecraturum deſponderet ex *Sigonio ad annum 720.* ſic: *Cum autem poſtridie à Miniſtris nulla neque vi, neque arte amoueri poſſent*, ſcilicet Oſſa S. Auguſtini *vehementer ex re perturbatus, S. Confeſſor, inquit: Si ſuabitur Oſſa tolli, ac ad Papiam transferri propitius patieris, ſpondeo tuo Templum in Tui honorem ædificaturum.* Pergit autem *Sigonius*, & ait: *Quæ vbi vota concepit, Oſſa ſubito, nullo molimine ſuſtulit, & Papiam, effuſa obuiam cum Clero Ciuitate deuexit.* Et paulò infra concludit, quod eadem *Oſſa S. Auguſtini in Templo S. Petri ad Calum Aureum, à ſe condito poſuit*, quod vltimum etiam teſtantur ex noſtris *Philippus Bergomenſis in ſuo ſuppl. Chron. lib. 10. anno Chriſti 726. Pamphilus in Chron. ordinis noſtri ad annum 720. Mag. Torrellus tom. 3. Secul. anno 1132. num. 4. pag. vlt.* & alibi, *Iordanus de Saxonia lib. vit. fratrum cap. 18. fol. 43.* ex exteris verò *Paulus Diaconus de Orig. & geſtis Regum Longobardorum l. 6. cap. 18. in fine, Blondus lib. 10. dec. 1. Iacobus Hoffmannus in ſuo lexicon. Vniuerſali tom. 1. litt. au. col. 2. Breuens. lib. 3. cap. 21. fol. 82. Iacobus Gualla lib. 1. Sanctuarij Papiæ cap. 2. ac lib. 4. cap. 12. Bernardus Sacrus lib. 10. Ticinenſis hiſt. cap. 3.* cum quo vadit *Spelta* ferè eadem repetens, *in vita Sancti Petri Epiſcopi Papienſis fol. 133. Vincentius Epiſcopus Belnacenſis in ſua hiſt. Eccleſ. lib. 23. cap. 148. de conſuſione, & ſubiectione Veſegotorum &c.* vbi loquendo de Translatione Corporis S. Patris hæc habet: *Anno Leonis IV. Luitprandus Longobardorum Rex audiens quod &c. in Baſilica S. Petri, quam præfatus Rex conſtituens, Calum Aureum dixerat, digniſſimè collocatur*, & demum *Vngollius tom. 1. Italia Sacra verbo Papienſes Epiſcopi fol. 3.* in quo Sacros Papiæ faſtus enumerat, ſic proſequitur: *fore ſque vigintiquinque Religioſorum Monaſteria ſpectantur, quorum habetur præcipuum S. Petri in Calo Aureo, olim Monachorum Sancti Benedicti &c. a Luitprando Longobardorum Rege ædificatum, vbi S. Auguſtini Corpus è Sardinia illuc relatum quieſcit.*

Nec veritatem huius hiſtoriæ confundit, quod aliqui ex præcitatis Auctoribus, illam depoſitionem &c. à *Luitprando* factam in diuerſa tempora reijciant; Nam non eſt novum certam eſſe poſſe hiſtoriam, ac incertum tempus illius. Sic certum eſt de fide Chriſtum

Domi-

Dominum in Ara Crucis pro ſalute Mundi mactatum, non tamen olim tempus, in quo id accidit; nam Aliqui, quos refellit *Auguſtinus 2. de Doct. Chriſt.* 28. putarunt ipſum quadraginta ſex annorum ætate paſſum eſſe, Alij apud *Iren. lib. 2. cap.* 39. id contigiſſe volunt poſt annum quinquageſimum ætatis Chriſti; Alij vt *Tertullianus aduerſus Iudæos cap.* 8. & ante ipſum *Valentinus Hæreſiarca* apud *Epiph. hæreſ.* 50. aſſerunt Chriſtum paſſum fuiſſe anno ætatis trigeſimo, quem errorem ſecuti ſunt Alij ſpectatiſſimi in Eccleſia Dei ſcriptores, vt videre eſt apud *Spond. anno Domini* 34. *num.* 43. & ipſemet *Epiph. hæreſ.* 51. aſſerit, propius Alijs ad veritatem accedens, Chriſtum obijſſe anno ætatis ſuæ trigeſimo tertio per tres menſes inchoato, quamuis Romana, & Apoſtolica Eccleſia, teſte *Beda de ratione temp. cap.* 45. id anno eius ætatis trigeſimo quarto inchoato, contigiſſe, ſemper tenuerit. Sic non facit incertam, ac dubiam depoſitionem Corporis Sancti Patris in dicto Templo diſcordia inter aliquos ex citatis Auctoribus, circa tempus illius.

Verùm tamen eſt falli *Stephanum Breuent. lib. 3. ſuæ hiſt. cap.* 1. illam depoſitionem accidiſſe aſſerens, tempore *Petri Antiſtitis Papienſis*, & è contra veritatis ſemitam percurrere *Bernardum Sacum lib.* 10. *Ticinenſis hiſt. cap.* 1. eam temporibus *Armentarij Epiſcopi* aſſigens. Quod autem res ita ſe habeat, ex eo patet, quod *Vghellius tom.* 1. *Italiæ Sacræ ver. Papienſes Epiſcopi num.* 37. dictum Petrum ſucceſſiſſe ait, non ſolum *Armentario*, ſed *Mauritio*, *Anaſtaſio*, ac demum *Theodoro anno* 751. cum tamen præfata translatio, ſeù depoſitio, vt ſupra vidimus, ex *Spondano &c.* contigerit *anno* 725.: *Armentarius* igitur erat Antiſtes Papiæ, tunc temporis, cum teſte *Vghellio* ibidem *num.* 33. aſcenderit Cathedram anno 711. & probatis coram Conſtantino Papa, ac reportatis pro Eccleſia ſua iuribus independentiæ ab Archiepiſcopo Mediolanenſi, Sanctorum auxerit numerum *anno* 730. *die* 30. *menſis Ianuarij*; Hinc idem Auctor, eodem *num.* 33. *in fine* ait. *Armentario ſedente, opera Luitprandi Regis S. Auguſtini Corpus è Sardinia, Genuam primum, inde verò Ticinum honorificè fuit translatum, vbi hactenus requieſcit*.

Ex his non ſolum corrigitur *Breuent.* quod eum ſeries, ac numerus Epiſcoporum Papienſium enormiter lateat, ſed, & *Pater Ferrari in Catalogo Sanctorum Italiæ ſub die* 7. *Maij*, de eodem *Petro*, inquiens: *Inde à Luitprando Rege reuocatus*, ſcilicet ab vrbe Spoleti, in qua diuturniori mora exulauit, cum *Ariperti Regis* incidiſſet in ſuſpicionem, ex *Paulo Diacono lib.* 6. *cap.* 58. *Epiſcopus Papienſis Gregorio III. Summo Pontifice creatur*. Si enim verùm eſt teſtimonium *Vghellij*, aſſerentis *Petrum* fuiſſe ſubuectum ad Ticinenſem ſedem *anno* 751. debuiſſet id contingere ſub Pontificatu *Zachariæ*, qui ex *Pannino in lib. Pontifices Maximi*, electus fuit *anno* 741. *& ſedit annos decem, menſes* 3. *dies* 9. & conſequenter obijt *anno* 752. inchoato, non verò ſub Pontificatu *Gregorij III.* qui ex eodem *Pannin.* ibidem electus fuit *anno* 731. & obijt *anno* 742. Non audeo tamen erroris arguere *Oldradum*; licet in *dict. Epiſt. ad Carolum Magnum* videatur colligere cum *Breuent.* ſub his verbis: *Hæc cum Luitprandus audiſſet à S. Memoria Petro Papienſi Epiſcopo*, ſcilicet fœdari loca, in quibus Magni Parentis exuuiæ iacebant &c. Nam illa verba: *Petro, Papienſi Epiſcopo*, non debent ſumi coniunctum cum tempore depoſitionis &c. ſed diuiſim, ita quod reddant hunc ſenſum à *S. Mem. Petro*, qui fuit poſtea Papienſis Epiſcopus. Hinc enim ſenſus, eſt conformis *Vghellio loco cit.* vbi de S. Petro hæc habet: *Luitprando fuit vnicè charus, eumdemque, antequam eſſet Epiſcopus adhortatus eſt, vt Sancti Auguſtini Corpus Papiam traſferret*. Et hæc ſatis ſint ad firmandum tempus dictæ translationis.

Nunc autem addo; quod cum omnes præcitati Auctores depoſitioni Corporis S. Patris, in Templo S. Petri ad Cælum Aureum à *Luitprando* factæ, calamo concordi ſubſcribant, eis ex eo debet deferri, etſi non ſolum *Saccus, & Breuent.* ſed cæteri alij, eodem circa ſignatum illius tempus, vel diſcordi errore tenerentur, vt *Lezan. conſult.* 1. *de Cannoniz. SS. num.* 135. *& Pignat. tom.* 4. *Conſult.* 42. *num.* 35. Etenim non obſtat Hiſtoriarum releuantię, quod in ipſis aliqui errores miſceantur, teſte eodem *Lezana in Conſultis varijs conſul.* 1. *num.* 136. ac præcipuè *Baronio in not. ad Martyrolog. die* 9. *Octobris* ſub his verbis: *Quod ſi ob vnum errorem, vel alterum in vitis Sanctorum inuentum, cætera quæ remanent, fide carere dixerimus, profectò omnes ferè Sanctorum vitas in maximum diſcrimen inducimus, cum penè in omnibus aliquod notari poſſit, quod corrigendum videatur, ſiquea*

Cano-

Canonicarum tantum ſcripturarum ſingularis prærogatiua, vt in eis cuncta vera, inconcuſſaque narentur, & præſertim quando in reliquis alijs habentur adſtipulatores, vt ſumus in caſu. Sic indubitata eſt apud Catholicos Inuentio Sanctæ Crucis per manus *Helenæ*, licet vel *Ambroſius in oratione funebri, Theodoſij* erret, aſſerendo eam innotuiſſe ex titulo eidem affixo, vel alij docentes auulſum titulum, vt *Ruffinus lib. 1. cap. 8. S. Paulinus Epiſcopus Nolanus Epiſt. 11. ad Seuer. Socrates lib. 1. cap. 17. Theodoretus lib. 1. cap. 18. Zozomenus lib. 2. cap. 1.* ac *Nicephorus lib. 8. Eccleſ. hiſt. cap. 29.* & ſic eam tantum diſcretam fuiſſe inter alias duas Cruces, aſſerentes, præuia luce miraculi. Non deſinit ergo eſſe certa illa S. Patris translatio, licet daremus, quod tamen eſt falſum, Auctores omnes in reliquis, veritatis tranſgreſſores. Et ſic per hæc ſatisfit cuidam Sapientiſſimo Iuris vtriuſque Doctori, Domino meo; qui vult hyſtoricos in omnibus eſſe concordes, vt eis deferatur.

Proſequentes nunc ordinem translationum aſſerimus, quod non ſolum *Luitprandus*, tantum Eccleſiæ Theſaurum in Templo S. Petri depoſuit, ſed, & in Scurolo, teſte *Gualla lib. 4. Sanctuarij Papiæ cap. 13.* ſub his verbis: *Summa cum veneratione illud Sacratiſſimum Corpus, vſque Ticinum, eiuſdem Regium Domicilium, deferri fecit, eoque in aureo Templo, decenti CONFESSORIS loco, pretioſis mirabiliter ornatum locat.* Certum eſt autem, quod hic, nomine *CONFESSORIS*, vel *CONFESSIONIS*, Crypta, ſeù Scurolum venit, ſicuti nomine memoriæ Martyrum, veniunt Altaria, vt patet ex *Concilio Carthaginenſi 5. can. 14.* ſub his verbis: *Placuit vt Altaria, quæ paſſim per agros, aut vias, tamquam memoriæ Martyrum conſtituuntur, in quibus aut nullum Corpus, aut Reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt, euertantur.* Et idem legitur apud *Bellar. tom. 5. lib. 2. de reliquijs SS. cap. 4. num. 20.* dicentem, *in Monumentis adeſſe, vt minimùm memoriam Sanctorum; Nam inde Sepulcra Sanctorum apud veteres paſſim dicuntur memoriæ.* Quod autem *Gualla*, de facto ſic impropriet illud nomen *CONFESSORIS*, oſtendit ipſemet clarius eodem *lib. cap. 12.* in quo aſſerit Corpus *Luitprandi* tumulatum *ad ingreſſum CONFESSORIS*, vtendo illo termino *CONFESSORIS* pro iſto, Scuroli, vt rectè eum interpretatur *Bartholomæus Petragraſſa in narratiua de translatione Corporis S. Aug. fol. 13. in fine.* Sic autem inuertens *Gualla*, ſignificationem dicti termini, non priuatos ſui calami ſenſus, ſecutus eſt, ſed Eccleſiæ, ac ſcriptorum antiquorum, qui inferiora Eccleſiæ loca nomine *CONFESSIONIS*, appellare conſueuere. Hinc in lectionibus ſecundi nocturni diei 18. Nouembris Dedicationis Baſilicarum SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, hæc leguntur: *Ex locis, qui olim apud Chriſtianos, venerationem habuerunt, illa celeberrima, & frequentiſſima fuerunt, in quibus condita Sanctorum Corpora, vel aliquod martyrum veſtigium, aut monumentum eſſet, in quorum numero Sanctorum locorum, in primis fuit ea Vaticani pars, quam Sancti Petri CONFESSIONEM vocabant &c.* Conſonat his, *Onuphrius Panuinius de ſeptem vrbis Eccleſijs cap. 8. de Baſilica S. Petri in Vaticano fol. mihi 41. in princ.* ſub his verbis: *Locus porrò ſubtus, & ante Altare Maius S. Petri, inferior, propè eius Sepulcrum eiuſdem S. Petri CONFESSIO vocatur, voce latina pro martyrio vſurpata, nam quæ Græci martyria, ideſt Martyrum Sepulcra. Latini CONFESSIONES vocarunt.* Ad hunc ſenſum de Baſilica S. Pauli Apoſtoli via Oſtienſi *fol. 71. in fine*, ait, quod *Symmachus Papa*, ea in meliorem formam redacta, poſt, *CONFESSIONEM pictura exornauit*, ac tandem, de ſeptima *Baſilica S. Mariæ Maioris fol. 236. parum infra medium*, ait, quod hoc Templum inter alios Sacræ Magnitudinis faſtus habet, *CONFESSIONEM Tabulis Marmoreis incruſtatam, Columnis ornatam.*

Fuit ergo Corpus S. Patris in Scurolo depoſitum à *Luitprando*, ac inſuper in eo latuit, vſque ad tempora *Honorij III.* Scilicet vſque ad *annum* 1223. in quo metu Gallorum Italiam inimico pede tunc percurrentium, in profundo, verſus Canonicos Regulares loco depoſitum fuit, & abſconditum, vbi *quadraginta annis delituit*; vt videre eſt in parua, ac manuſcripta *Chronica de Martyribus Ciuitatis Brixiæ*, cuius Auctores fuerunt, *Bonifacius, & Paulus de Borollis, & Arcangelus de Curuo Ciues Brixienſes*, & quam recitat, *Romualdus à S. Maria de Inuentione Corporis S. Patris* §. 1. ſub his verbis: *Il Corpo di S. Agoſtino Veſcouo, Confeſſore, e Dottore della Chieſa, fù traſportato dà Sardegna à Pauia dà*

Alipran-

Aliprando, e poſto in vna degniſſima Arca nella Chieſa di S. Pietro in Cielo Aureo di Pauia. Poi fù leuato dall'Arca per mano del B. Baſilio dà Fiorenza &c. e meſſo ſotto terra nel ſuo Oratorio ſotto l'Altare. Quando fù leuato fuori dell'Arca li venne vn' odore tanto mirabile, che ſin dentro di Pauia, ogn'vno ſi ſtupiua. Fù leuato dall'Arca, perche li Franceſi le voleuano portare in Francia.

Video, hic quod Aliquis, nullatenús defert huic Chronicę, eo quia, vt ait in ſua *alleg. in contrarium ſub die 27. Aprilis 1697.* tanquam ſcriptura priuata non eſt attendenda.

Sed contra eſt, quia hiſtorijs, & Chronicis creditur, ſi illis à maioribus noſtris fides adhibita ſit, vt *Caſſaneus in Catalogo gloriæ mundi pag. 10. conſider. 45. in fine, Guttierez. pract. quæſt. lib. 3. q. 13. num. 23. Maſcard. concl. 105. num. 9. concl. 396. num. 6. Menoch. conſ. 318. num. 8. ac Barboſa in prætermiſſis, & addiramentis, ad collect. &c. ſuper cap. Cum cauſam fin. num. 1. de prob.* ſed ſic eſt, quod eidem Chronicæ fides à maioribus noſtris adhibita eſt, nempe à *Philippo Nouarienſi Canonico Regulari in ſua Chronica lib. 3. cap. 39. Sylueſtro Maruolo in ſuo Mari Oceano omnium Religionum lib. 1. pag. 19.* ac *Pennoto lib. 3. cap. 36. num. 4.* Igitur &c. Hinc benè poteſt dici, quod illa Chronica habeat vim ſcripturæ publicæ a communi approbationis opinione, vt eſt caſus, *in cap. Cum dilectus, extra de fide Inſtrumentorum*, ac docet, *Zabarella conſ. 34. num. 6.*

Accedit ad hæc Scriptura reperta in Archiuio publico Papiæ, quam recitat P. Michael de Collibus in ſua duplicatione in cauſa identitatis &c. eadem omninò repetens, quæ porrigit dict. Scriptura Brixienſis, ac approbans. Planum eſt autem, quod Scriptura de Archiuio publico extracta, plenè probat in judicio ex *Cald. Pereira de emptione, & venditione cap. 1. num. 22. Pace Jordano, tom. 3. lib. 14. tit. 20. de fide Inſtrum. num. 34. Barboſa in cap. ſcripta num. 12. eodem tit. & in cap. ad audientiam, extra de reſcriptis*, & *ad gloſam cap. Cum cauſam de probatione*, ex *Cacher. deciſ. 69. Mareſc. var. reſol. lib. 1. cap. 27. num. 14. &c.*

Satis etiam illius Chronicæ veritati aſſiſtit Inſcriptio, quæ viſſitur in dicta Eccleſia S. Petri à parte Canonicorum Regularium, ac ſiniſtris Sacelli S. Appiani, ſub his verbis: *Sacellum hoc olim DD. Baſilij, & Florentiæ Canonicorum Regularium Oratorium, cum in eo D. P. Auguſtini Sacrum Corpus ſublatum ab ipſo Mauſoleo, in quo primum à Rege Luitprando conditum fuerat, Gallorum metu, clam ſub Altari defoſſum, quadraginta quieuit annis.* Certum eſt autem, quod Scriptura priuata plenè probat, ſtantibus alijs adminiculis, ex *Barboſ. in dict. cap. ſcripta 2. de fide Inſtrum. num. 13.* qui vadit cum *Farin. p. 4. conſ. 70. num. 19. ac ſeq. Caualer. deciſ. 234. p. 1. Caputaq. deciſ. 114. num. 3. verſ. quantitas in fine*, ac *Rota deciſ. vlt. part. 1. diuerſ.* Immò ipſa eadem Inſcriptio, ſe ſola, plenè probat, cum id ſit proprium Scripturæ priuatæ, ſi inuenitur ſculpta in Monumentis, ſiué in lapidibus, aut Columnis quæ extant in locis publicis, veluti in plateis, menis Ciuit. &c. & ab antiquo, vt ſumus in caſu, fuit recepta, *ex l. 4. ff. de adminiſt. rerum ad Ciuit. pert. ex l. 2. ff. de operibus publicis, & ex Barboſa in dict. cap. Cauſam num. 5. de probatione; Nicolao Genua de ſcriptura priuata lib. 1. q. 4. ex num. 187. vſque ad num. 196. Eſcoba de puritate, & nobilitate probanda p. 1. q. 4. num. 43.* Et hæc doctrina maximè habet locum in antiquis, vt ſumus casù, quæ ſatis probantur, per litteras ſcriptas, ſeú inciſas in lapidibus, vt patet de inſcriptione in antiquis, quæ probat Iuſpatronatus ex *Bart. in l. Monumentorum Cod. de Religioſis Domibus, & Ripa in cap. Cum Eccleſia Sutrina num. 97. de cauſa poſſeſſionis.*

Neque hæc ſuo loco mouet quidam, *Vir doctus in ſua reſp. Apologetica manuſcripta cap. 7. verſus finem*, fabuloſam cum reliquis alijs reputans illius ſuauiſſimi odoris exhalationem de Corpore S. Patris, eò quia, *vt ait*; Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Epiſcopus noſter, & omnes in viſitatione Reliquiarum adſtantes, eumdem fragrantiæ halitum percepiſſent.

Contra enim eſt, quia vt ſpontè Auguſtinus tunc de ſuo Corpore ſuauem veluti pretioſi aromaticis odorem edidit, ita in dict. eiuſdem ſui Corporis viſitatione ſpontè non edidit. Nec à ſuperis quærenda eſt ratio, cur ſic agant, vel non agant. Sic *Spondanus anno D. 31. num. 13.* ex *Epiph. hereſ. 51*, loquens de inſigni miraculo aquæ mutatæ in vinum à Chriſto, vndecima menſis. Tibi, hoc eſt ſexta Ianuarii; ait: *eadem die*, illud in pluribus or-

bis

bis locis iterari conſueuiſſe, vt patet *de Fonte Cibyres Vrbis Cariæ alioqua Geraſæ in Arabia ac de Nilo fluuio Egypti in vinum conuerti ſolitis ea hora, qua Chriſtus miraculum fecit*, & tamen modo hæc miracula perſeuerare non audiuntur, & vt propiús ad rem noſtram accedamus, idem *Spond. anno D. 34. num. 71.* ait Sepulcrum Dauidis, ſeù Salomonis *remanſiſſe etiam integrum in excidio Hieroſolymorum per Titum facto*, & tamen ibidem referens nouiſſimam Iudeorum cladem per *Adrianum* illatam, ſubiungit. *Tunc enim antequam illa contingeret, quaſi in prodigium futuri vltimi Iudeorum extermini ſponté corruiſſe, Auctor eſt Dio. in Adriani vita*, ergo ſicuti non tollit annua illa miracula de aqua in vinum verſa, ipſorum miraculorum ceſſatio, vel non deſinit eſſe mirabilis tam diuturnus ac vel in excidio Hieroſolymorum Dauidici Tumuli ſtatus, etſi poſtea ſponte corruerit, ſic non deſtruit ſuauem illud odoris egreſſum de S. Patris Oſſibus, tempore B. Florentij &c. quod Illuſtriſſimus Papiæ Antiſtes fæliciter regnans, modò non perceperit, nec alij ſecum, & ſic &c.

Vt autem inconcuſſa ſubſiſtit veritas illius manuſcriptæ. Chronicæ, ac inſcriptionis, ſic & certum eſt, quod poſt quadraginta annos, ſcilicet verſus finem ſæculi tertij decimi, DD. Rectores Ciuitatis Papiæ, Sacratiſſimas Auguſtini exuuias in Scurolum retulerunt, vt claré teſtatur, *Sigibertus in lib. de laudibus Papiæ impreſſo Aucnione anno* 1330. quem *Anſoſſ. de Sacrarum Reliq. cultu &c. §. 5. num.* 18. nomine Aulici Pontificij nominat. Illius autem verba ſunt hæc. *Habent* ſcilicet Papienſes, *ſpecialem Patronum ipſum Beatiſſimum Auguſtinum; Unde ne ſibi, quod abſit, auferatur ab vllis Regibus, vel Principibus, ipſum in profundo, & ſecretiſſimo loco, per tale artificium incluſerunt, quod auferri non poſſet, etiam, ſi illic multi, per multum temporis laborarent &c.* Quod autem hæc depoſitio facta fuerit in Scurolo, ſatis benè deſignat, *Sigibertus* per illa verba. *In profundo, & ſecretiſſimo loco &c.* & teſtantur expreſsé *Vincentius Epiſcopus Bellnacenſis in ſua hiſt. Eccleſ. lib. 24. cap.* 148. vbi ait Corpus S. P. latere *in Crypta Eccleſiæ*, ſc. S. Petri ad Cælum Aureum, *in qua iacet Puteus, Bernardus Guidonis Ordinis Prædicatorum*, qui circa annum Chriſti 1330. Romanorum Pontificum Catalogum exarauit, in quodam ſuo manuſcripto, quod aſſeruatur in Bibliotheca Amroſiana inter folia, *de vita Gregorij II.* ſub iiſdem terminis, qui, & leguntur in exordio peruetuſti cuiuſdam Codicis eiuſdem Bibliotecij, in quo quedam S. Patris opera inſeruntur.

Accedit ad hæc Inſtrumentum exaratum *a Ioanne Auguſtino de Moraſco, publico Papiæ Notario de anno* 1509. vt apparet ex Archiuio noſtro Papiæ, *in lib. qui inſcribitur: Plura ſcitu digna circa hoc Monaſterium*, in quo tam certi erant Religioſiſſimi PP. Canonici, & noſtri de depoſitione paterni Corporis in Scurolo, vt in *Conuentione X.* inter eos mita, hæc expoſuerint: *Item, quod ſi contigerit aliquam expenſam fieri in Campanili, aut circa Altare Maius, & Altare B. Auguſtini, & Sepulcrum eius inferius &c. expenſæ ſint, & debeant eſſe communes &c.* & demum *Auguſtinus Ticinenſis Canonicus Regularis Lateranenſis in lib. F. de ſitu orbis p. 4. lib. 15. cap. 12. de Papia* ſub his verbis. *Fuerunt Canonici Regulares ante Eremitanos*, ſcilicet in Templo S. Petri ad Cælum Aureum, *per multa tempora, quibus Canonicis etiam pertinebat Altaria ornare Lampadibus, & locum in CONFESSORIO, vbi Sacratiſſimi Patris Auguſtini Corpus iacet.*

Indubitatam autem indubiè fidem faciunt allata teſtimonia, quia antiquis Scriptoribus, & Chronicis, ſine hæſitatione credendum eſt, vt firmauit, *Collegium Sacrum Paduanum* poſt conſilia, *Zabarellæ conſ. 2. num. 57. Ludouic. Romanus conſ. 523. incip. Lux mundi Bart. in l. legatoſſ. de ſupl. leg. in l. 1. ff. de albo ſcriben. in l. 1. col. 6. ff. ſi certum petatur; Baldus, & textus in l. 1. ff. de officio Quaſt. Ioan. Andr. Doctor Antonius, & alij in cap. Cum cauſam extra de prob.* & faciunt *gloſſa communiter à DD. approbata in cap. Inter dilectos, in ver. non magis de fide Inſtrum.* vbi valet probatio facta per Chronicam, in Cap. *Venerabilem* in Verb. *tranſtulit, extra de Electione, & in Cap. In Nomine Domini*, verbo *Trapezitas, diſt.* 23.

Addo, quod ea hiſtorijs fides adhibenda eſt, niſi de earum falſitate conſtet, vt vel eis credatur in materia Sanctitatis, & Canonizationis SS. *ex cap. 1. §. in fine de S. Vnctione; ex gloſſa in cap. inter dilectos §. ſed contra Ver. Magis, & ibi Abbas num. 31. in fine de fide Inſtrum.*

ſtrum. Bart. in l. 1. num. 22. Jaſ. num. 25. dec. num. 2. in fine Bologn. num. 48. ff. ſi certum pet. ex *Felyno in cap. 2. num. 42. de Reſcriptis*, & ſignanter in hac materia Canonizationis, *Caſtellinus tract. de Canonizatione, quaſt. 7. verſ. Quaro an in Canonizatione.*

Neque dicas conuinci manifeſtæ falſitatis omnes illos Doctores a nobis in medium adductos, cum P. D. *Odoricus Raynaldus à Tarniſio, Continuator Annalium Baronij, in ſuo 1. tom. ad annum Chriſti* 1228. *num.* 37. vt refert, *Magiſt. Torrellus tom. 4. Secul. ad eundem annum num.* 6. conſtanter aſſerat reperiri in Regeſto *Gregorij IX. lib. 2. Epiſt.* 4. diploma eiuſdem, ex vi cuius translatum fuit S. Patris Corpus de Papia in Vrbem Mortariæ, ſub his verbis: *Conſtat hoc anno in regeſto Gregorij IX. lib. 2. Epiſt. 4. Pontificium extare diploma de tranſlatione Corporis S. Auguſtini Epiſcopi, & Doctoris, quod Ticini in Eccleſia S. Petri in Cælo Aureo nuncupata, iacebat, in Sacrum Mortarienſe Templum ſolemni pompa celebrata;* Hæc enim adeo futilia ſunt, pace tanti viri, vt vel ex eiuſdem inſpectione diplomatis diſſoluantur. Confundit enim ipſe translationem Capitalis Domus Congregationis Mortarienſis ad Templum S. Petri in Cælo Aureo, de qua ſolum ibi ſermo eſt, cum translatione Corporis Sancti Auguſtini, ad Templum Mortariæ de qua ibi nec verbum quidem; Et nè videamur ex Capite loqui, dabimus diploma per extenſum directum Mortar. & omnium Eccleſiarum ad Mortarienſem Eccleſiam immediate ſpectantium Prioribus, & Canonicis Ordinis Sancti Auguſtini, quod ſic incipit.

Olim nobis in minori Officio conſtitutis, tunc in Lombardia partibus legationis officio fungentibus, & nonnullis alijs viris Religioſis fide dignis, bona mem. Honorio PP. Prædeceſſori noſtro per noſtras litteras intimantibus, Monaſterium S. Petri in Cælo Aureo de Papia, Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectum, in Spiritualibus, & temporalibus grauitèr corruiſſe, ita quod &c. non ſperaretur, vt locus ipſe &c. poſſet reformari, ac ſuggerentibus ei, vt CAPVT DOMVS VESTRÆ ad prædictum Monaſterium, vbi Corpus B. Auguſtini noſcitur requieſcere, transferre deberet, Idem nobis ſuis dedit litteris in mandatis, vt conſideratis circumſtantijs vniuerſis, in negotio ipſo, auctoritate procederemus eiuſdem, prout ſecundum Dominum, procedendum videremus in eo.

Nos autem tunc temporis, varijs negotijs occupati bona mem. Iacobo Epiſcopo Taurinenſi dedimus in mandatis, vt perſonalitèr ad Monaſterium memoratum accedens; diligentèr inquireret voluntatem Epiſcopi, Cleri, & Populi Papienſis, & ſi videret poſſe fieri ſine ſcandalo, Mortarienſi Domui Monaſterium concederet ſæpe dictum; Alioquin quod ſuper hoc inueniret, nobis per ſuas litteras intimaret. Præfatus vero Taurinenſis iuxta mandatum noſtrum perſonalitèr ad Ciuitatem Papienſem accedens, & ſuper prædicto negotio diligenter inquirens Epiſcopi, Cleri, & Populi voluntatem, omnes in hoc inuenit vnanimes, & concordes, Et eum tandem deliberato conſilio reſpondiſſent, quod huiuſmodi tranſlationem plurimum acceptabant, ſaluo tamen iure Apoſtolicæ Sedis, & Imperij, & Epiſcopi, & Ciuitatis Papienſis, ac iure, & honore Aduocatorum Monaſterij memorati, Taurinenſis Idem ad ſæpedictum Monaſterium cum præfato Papienſi Epiſcopo, & Clero, ac Populo, multitudine copioſa procedens, Monaſterium ipſum cum omnibus Eccleſijs, poſſeſſionibus, Iuribus, & alijs pertinentijs ſuis, Domui Mortarienſi liberè, & abſolutè, ea qua fungebatur auctoritate conceſſit, expreſſo vt Monaſterium ipſum Caput Mortarienſis Ordinis de cætero haberetur, ac Præpoſitum Mortarienſem, qui tunc temporis erat, ibi vice, ac nomine dictæ Domus, in ipſius Monaſterij corporalem, poſſeſſionem induxit, tribuendo ei liberam facultatem, poſſeſſiones omnium temporalium, & ſpiritualium, quæ ad ipſum Monaſterium pertinebant, auctoritate propria nanciſcendi, cuius proceſſum auctoritate legationis nobis commiſſæ duximus poſtea confirmandum.

Vndè nominatus Prædeceſſor noſter, inſtrumentis, in quibus omnia ſupradicta continebantur, plenius diligentèr inſpectis conceſſionem prædictam corroborans, Monaſterium ipſum cum vniuerſis Iuribus poſſeſſionibus, Eccleſijs, & alijs pertinentijs ſuis, temporalibus, & Spiritualibus, vobis, & per vos, ordini veſtro, auctoritate Apoſtolica confirmauit, & ſcripti ſui patrocinio communiuit, ſtatuens, vt Ordo Mortarien ibidem perpetuis temporibus ſeruaretur.

Cum igitur quatuor ſint, quæ ſpecialitèr videntur exigere, videlicet riuerentia B. Auguſtini,

ſtini, cuius Corpus requieſcit ibidem, auctoritas loci, deuotio Cleri, & Populi Papienſis, qui non aquanimitér ſuſtulerent, vt Caput veſtri Ordinis alibi transferretur, nec non, & inhabilitas Mortarienſis loci, qui guerris, & multis alijs fortuitis caſibus expoſitus eſſe dignoſcitur, propter quod membra recedere à ſuo capite, & per diuerſa loca vagari, aliquando miſerabilitér ſunt compulſa, vt in Monaſterio Memorato Caput veſtri Ordinis habeatur; Vniuerſitatem veſtram rogamus, & monemus per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus Abbati eiuſdem Monaſterij obediatis humilitér, & deuoté. Dat. Perusij ij. Cal. Nouembris Pontif. noſtri anno 2. 1228.

Hæc eſt Bulla dicti Gregorij IX. in qua nil de translatione Corporis S. P. ad Mortariæ Templum, ſed ſola translatione Capitalis Domus Congregationis Mortarienſis ad Templum Sancti Petri in Cælo Aureo Papiæ, ob reſpectum eiuſdem Corporis ibi quieſcentis, eſt ſermo, vt patet ex lectura textus.

Vidit hæc, vt reor, quidam Contradictor, qui proindè aliò ſe conuertit, vt probet nouam de Scurolo &c. translationem dicti Corporis ad alium locum. Obijcit igitur teſtimonium *Martini V.* in ſua Bulla *incip. Pia Charitas edita* 15. *Cal. May anno* 1426. ac relata a *Mag. Empoli in Bullario Ordinis pag.* 258. in qua §. 2. legitur, quod Corpus Sancti Auguſtini, *reconditum exiſtit in quadam Eccleſia Papienſi dicti Ordinis*, ſc. Eremitarum S. Auguſtini, vt patet ex præcedentibus verbis; Ex his, autem ſic præfatus Dominus ratiocinatur: *Quare cum notorium ſit, quod antiquitus Patres S. Auguſtini degerent in loco, ſeù Conuentu, vbi nunc morantur Moniales S. Moſtiola, multaque alia dentur in Ciuitate Eccleſia eiuſdem Ordinis, non ideo itá pro certo eſt aſſertio hiſtoricorum, quod exiſtant Sacra exuuia pradicta in memorato Templo Sancti Petri depoſita.*

Sed hæc, pace tanti viri, non ſolum non conuellunt iacta à nobis fundamenta, ſed firmant: Etenim ſic ex D. *Martini V.* oraculo, argumentum ſuum, in Auctorem intorqueo: *Anno* 1426. Corpus S. Patris reconditum exiſtit in quadam Eccleſia noſtri Ordinis; ſed tunc temporis nulla alia Papiæ Eccleſia erat noſtri Ordinis, præter Templum S. Petri in Cęlo Aureo; Ergo ex vi Martinianæ illius Bullæ, non erat tunc Corpus S. Auguſtini, niſi in præfato Templo, & ex conſequenti non erat tunc in Eccleſia *Sanctę Moſtiola* vel alibi. Quod autem tunc temporis nullam aliam noſtri Patres Eccleſiam incolerent, niſi S. Petri ad Cælum Aureum, ex breui demonſtro rei hiſtoria, quam ſic porrigo.

Certum eſt, quod noſtros Eremitanos ſuam in Eccleſiam, ac domum excepit Archipresbyter S. Moſtiolæ, de conſenſu Reobaldi Cepollæ Epiſcopi Papienſis, ſaltem, *anno* 1254. cum *Reobaldus*, teſte *Vghellio tom.* 1. *Italia Sacra Ver. Papienſes Epiſcopi*, eodem anno è viuis exceſſerit, ac tandem reliquit Dominos *anno* 1277. vt patet ex publico Inſtrumento donationis dato Papiæ dicto anno indictione 5. & alio dato Viterbij in domo poſita iuxta Eccleſiam S. Crucis eiuſdem vrbis, in qua morabatur *Guido* Epiſcopus Papienſis, qui illud confirmauit. Hæc autem duo Inſtrumenta non tam videri poterunt per extenſum in *Archiuio S. Auguſtini Papia*, quam apud *Mag. Torrellum tom.* 4. *ſecul. anno* 1277. *à num. ij. vſque ad* 14. *excluſiué*.

Non eſt autem paſſus Deus diù ſic auulos filios à Patre; *Nam Ioannes XXII.* in ſua Bulla edita ad preces Beati *Guilelmi de Cremona tunc Ordinis Generalis, incip. Veneranda Sanctorum Dat. Auenione* 13. *Calend. Februarij Pont. ſui anno ij. Chriſti* 1327. ac recitata de Verbo ad Verbum à *Baſilio Serenio in lib. indultorum, & priuilegiorum Canonicorum Regularium S. Saluatoris Lateranenſis pag.* 183. *à Pennoto lib.* 1. *ſua hiſt. tripart. Cap.* 63. *num.* 1. *pag.* 208. *à Mag. Torrello tom.* 5. *ad annum* 1327. *Mag. Ioſeph Sabbatino lib.* 3. *Vindic.* §. 2. *& Mag. Empoli in Bullario Ordinis pag.* 195. noſtros reuocauit ad Templum S. Petri in Cælo Aureo, ac vt membra Capiti ſuo, Diſcipulos Magiſtro, milites Duci, ac filios Patri ex Iuſtitja reſtituit, vt probat *B. Iordanus de Saxonia lib.* 1. *Vitas fratrum cap.* 18. *pag. mihi* 44. ex eo quod ſpoliatum ante omnia reſtituendum, omnia iura clamant.

Hæc eo fine intexuimus, vt Oppoſitor aduertat, quod Eccleſiam S. Moſtiolæ, tamquam Domini tenuimus ſolum *ab anno D.* 1277. *vſque ad* 1327. vel verius vſque *ad* 1331.

1331. ſi loquamur de accepta, & exercita poſſeſſione, vt notat *Mag. Torrellus tom. 3. ad eumdem annum*. Et ſic cum *Martinus V.* in laudato diplomate edito *de anno* 1426. ait Corpus S. Auguſtini eſſe *reconditum in quadam Eccleſia dicti Ordinis*, non poteſt intelligi de Eccleſia dimiſſa *S. Moſtiola*, quæ non erat amplius Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, ſed de Eccleſia S. Petri. Nec ſolum hoc tempore, ſed nec antea Corpus Sancti Patris alibi fuit aſportatum, cum *Rodobaldus Papienſis Epiſcopus anno D.* 1236. perquiſitis per ſingula Papiæ Templa Reliquijs, repertas in Eccleſia S. Petri deſcribi ad perpetuam memoriam iuſſerit, inter quas notantur etiam Reliquiæ *S. Auguſtini*, vt videre eſt in libro Archiuij intitulato: *Plura ſcitu digna circa hoc Monaſterium fol. 9.* vbi hæc leguntur. *Item iacet Corpus S. Auguſtini Epiſcopi Hipponenſis*. Quod autem Sanctorum Corpora vbique perquiſierit dictus Antiſtes, teſtatur *Gualla lib. 1. Sanctuarij Papiæ cap. 7.* per hæc verba: *Præterea animaduertens Ticinenſem vrbem, Sanctorum Reliquijs, quam maximè illuſtratam, Paſtor ipſe optimus vt rei diuinæ præcipuam curam gereret, per ſingula totius vrbis Templa, Venerandas Sanctorum Reliquias, quæ erant in obſcuro, ſolertiſſime perquiſiuit, ſcriptiſque mandauit, & Chronicam de eis condidit &c.* Id ipſum etiam teſtatur, *Vghellius tom. 1. Italiæ Sacræ V. Papienſes Epiſcopi num.* 74. ſic. *Rodobaldus Cipolla huius nominis II. ex Archidiacono Cathedralis, Papienſem euaſit ad ſedem anno* 1230. *Hic cum multa præclara geſſiſſet, illud memoria dignum adiecit, vt Ciuitatis Sanctarum Reliquiarum repertorium conſtitueret, ne obliuioſa vetuſtas illarum deleret memoriam.* Et ſic &c.

Deindè ſi Reliquiæ S. Patris non iam in Templo S. Petri ad Cælum Aureum, ſed in dimiſſa S. Moſtiolæ Eccleſia ſeruarentur, ſine cauſa *Ioannes XXII.* nos reuocaſſet ad hoc Templum, vt filios ad ſinum Patris, & falsò aſſeruiſſet Corpus Sancti Patris eſſe ibi ſolemnitèr tumulatum, ſub his verbis: *Dignum arbitramur, & congruum, vt vbi tanti Doctoris, & Præſulis Corpus tumulatum quieſcere dicitur, ibi vltra id, quod ſibi honoris, ab vniuerſali exhibetur Eccleſia ſingulari quadam riuerentia, à vobis, & Fratribus veſtri Ordinis, qui ſub eiuſdem Patris regula degitis &c. ſpecialitèr honoretur, quatenus inibi, tamquam membra ſuo Capiti, filij Patri Magiſtro Diſcipuli, Duci milites cohæremes, Deo, & ipſi Sancto, authoritate fulti Apoſtolica, præcordialiùs iubiletis, vbi, & Præceptoris veſtri, Patris, & Ducis Auguſtini noueritis Reliquias fore ſepultas.*

Quia verò poſſet reſponderi, quod *Ioannes XXII.* in Bulla per illa verba: *Vbi Sancti Doctoris, & Præſulis Corpus tumulatum quieſcere dicitur* non videtur ex certa ſcientia procedere, ſed ex aliorum relatione, relicta ſuper hoc contentione, addimus Bullam *Alexandri VI. incip: Nuper nobis. Dat: Romæ die 22. Iunij anno* 1493. *Pont. ſui* 1. relata à *Mag. Empoli in Bullario Ord. fol.* 34. *qui* §. 1. *ait. Nuper nobis dilecti filij &c. expoſuerunt, quod aliàs felicis recor. Ioannes Papa XXII. Prædeceſſor noſter, per certas litteras ſuas dilectis filijs Priori, & Fratribus Domus Sancti Auguſtini Papienſis, vbi Corpus eiuſdem Sancti honorificè requieſcit &c.* Obijcimus etiam Bullam *Benedicti XII. incip. Claræ Ordinis veſtri Dat. Auenione 7. Idus Aprilis Pontif. ſui anno 1. ſcilicèt* 1335. cuius Originale aſſeruatur in Archiuio noſtro Papiæ, *ſign. litt. B.* in in qua hæc leguntur. *Cum itaque, ſicut petitio veſtra, nobis nuper exhibita continebat, vos locum, & Eccleſiam Sancti Petri in Cælo Aureo Papiæ, vbi Corpus Glorioſi Confeſſoris S. Auguſtini Venerabilitèr requieſcit, & in quam nonnulli Fratres Ordinis veſtri ſuum exibent Dominos famulatum, auctoritate Apoſtolica nuper fueritis aſſecuti &c.* Eadem ferè habet *Bonifacius IX. in dicta ſua Bulla edita de anno* 1400. *die* 21. *Aprilis Incip: pro ſingulorum* in qua §. 3. hæc leguntur; *& quia ex eo, quod præfata Eccleſia* ſcilicet S. Petri in Cęlo Aureo, *in qua Corpus Eiuſdem S. Auguſtini Venerabilitèr requieſcit*. Item *Leo X. anno* 1517. vt refert *P. Romualdus à S. Maria* §. 1. de Inuentione Corporis S. Auguſtini verſ. *Corpus ergo S. Patris*, in eadem erumpit, his verbis: *Ad Monaſterium S. Petri in Cælo Aureo Papienſis Ordinis Sancti Auguſtini, in quo Corpus eiuſdem Sancti, quem Magnus Dominus, & Laudabilis valdè de tenebris Gentium Lumen Eccleſiæ ſuæ vocauit &c. depoſitum exiſtit &c.* Et demum *Vrbanus VIII.* in ſua Bulla *incip: Religioſos viros, edita die* 10. *Octobris* 1635. *Pontif. ſui anno* 13. quam recitat

per extenſum inter alios *Mag. Ioſeph Sabbatinus lib. 3. Vind.* §. 13. in idem tendit ſub his verbis: *Cum itaque Eccleſia S. Petri in Cœlo Aureo, nuncupata Papienſis, in qua Sacra Corporis S. Auguſtini, Eccleſiæ Dei Doctoris eximij, Reliquiæ Venerantur &c.* Certum eſt autem, quod iſti quinque Romani Pontifices ex modo loquendi, ſe ex certa ſcientia procedere indicant, quæ cum ignorantia, vel errore, ſe compati nequit vt *Panormit. in Clement. Dudum num 9.* de iudicijs; Nec obſtat, quod illam clauſulam *ex certa ſcientia*, non expreſſerint, nam ibidem *Panor.* ait: *non eſſe neceſſe, vt hæc clauſula exprimatur in diſpoſitione Principis. Satis eſt enim, quod appareat de certa ſcientia diſponentis.* Et hoc probat ex *Innoc. in cap. præſenti*, quod hodie incipit, *Statutum de reſcriptis in 6. gloſſa in D. Clement. in verb. Ex certa ſcientia, in fine*, & ex *Clem. Et ſi principalis num. 12. de Reſcriptis cum Ioann. Andr. in Cap. Nonnulli eodem tit.* vbi ſatis hoc idem ſentit.

His etiam præciſis, quis audeat dicere tot Romanos Pontifices vano rumore deceptos. Id enim, vt de ſe patet, eſt inueriſimile, & ſic præſumitur falſum ex *Tiraq. in l. ſi vnquam Cod. de reuocanda donat. in prin. num. 40. Maſcardo de Probationibus Concluſ. 740. num. 35. & Concl. 1364. num. 4. Surdo de Alimentis tit. 8. q. 12. num. 24.* Et hæc maximè procedunt, cum aſſerens aliquod inueriſimile, contra id, quod habet iuris præſumptionem pro ſe, vt eſt noſtra præſens aſſertio, teſtimonio quinque ſummorum Pontificum vallata, non offert probationes efficaciores, vt *Bartolus in l. in illa, in fine ff. de verb. Oblig. Couarumas lib. 2. cap. 6. num. 1. & Menoch. de Præſump. lib. 1. cap. 4. num. 3.* Huiuſmodi eſt D. Meus, qui immò pro exiſtentia Corporis ſæpedicti, non aliquod genus probationis, ſed præſumptionem hominis, ac verius ſuſpicionem adducit, vt patet ex illius verbis ſupra citatis.

Addo, quod dictum nudum eximij Viri, Magnam facit iuris præſumptionem, vt *Abbas in cap. Cum olim 5. de dolo, & contumacia contra gloſſam fin. in cap. ſicut de Sent. Excom.* Vnde *Æneas Siluius*, qui fuit *Pius Secundus lib. 2. Coment.* paulo ante medium, dum narrat mirabilia quædam de pugna Coruorum, & Accipitrum, ait: *Difficile eſt egregijs Aſſertoribus fidem non adhibere, nec noſtra ex poteſtate credulitas pendet. Nobis inuictis obijs, crediti que fides.* Ergo multo ſecurius credi debet noſtræ aſſertioni, quatenùs altò tot Summorum Pontificum teſtimonio roboratur.

Demùm ſuum nobis nunquam defecturum conſortium promiſit *Auguſtinus* ſub his verbis: *Ecce enim vobiſcum ero, vſque ad conſummationem ſæculi*, vt refert. *B. Iordanus de Saxonia lib. 1. vitas Fratrum cap. 18. verſus finem*, ergo nos poſtea deſerere non potuit, declinando ad Moniales S. Moſtiolæ, vel ad ad alios.

His, qui conſentire adhuc neſcit, facilè ſtultitiæ arguet Patres noſtros, qui magnificam, ac toto orbe celeberrimam Arcam conſtruere inceperunt *die 14. Decembris anno 1362.* ſub gubernio Mag. Bonifacij Bottigellæ, & *die 20. Auguſti anno 1365.* baſim eiuſdem in Sacriſtiam antiquam, vbi nunc tota conſurgit impoſuerant ſub regimine Mag. Andreæ Bononienſis, & tandem perfecerunt impenſis potiſſimum totius Religionis, vt apparet, ex *Diario illius temporis fol.* 92. & ex Sententia, & *Card. Caſmati Arbitratoris*, Amicabilis Compoſitoris in nonnullis cauſis, litibus, & controuerſijs, quæ vertebantur inter Canonicos tunc temporis, & noſtros, lata *die Iouis 4. menſis Februarij anno Domini 1395.* authenticè firmata, ac à *Bonifacio IX.* confirmata *in dict. Conſt.* pro ſingulorum §. 5. quæ in Charta pecorina aſſeruatur in noſtro Archiuio Papienſi *ſign. litt. L.* in qua inter ornamenta Eccleſiæ, quæ fratres noſtri Papienſes fecerunt, recenſet Arcam *factam pro magnificentia, & Beatitudine Sanctiſſimi Auguſtini Lapideam, quæ conſtitit deductis expenſis, & conſtare communi exiſtimatione potuit florenis quatuor millibus aureis.* Stultitiæ inquam arguet Patres noſtros, ſi credat eos illam Arcam erexiſſe pro reponendo ibi Corpore Sancti Patris alibi quieſcentis. Ex in liceat corrigere *Siluestrum de Marulis*, qui in ſuo *Mari Oceano omnium Religionum lib. 4. fol. 269.* conſtructionem illius Arcæ *Luitprando tribuit* ac *Ripamontium in Hiſt. Eccl. Mediol. lib. 9. pag. 563.* in eumdem errore abreptum ſub his verbis: *ſed neque Regis huius, neque aliud eorum temporum opus ego anteà alterum tumulo, quem*

ille

ille, ſcilicet *Luitprandus, condendis D. Auguſtini Reliquijs extruxit*. Ne autem quiſquam ſuſpicetur, ipſum loqui de vrna marmorea, & non de ſola Arca palam expoſita, proroſequitur dicens: *Rarum id, atque viſcendum opus eſt Ticini in D. Petri æde, cui ab Aureo Cælo nobile Cognomen manet. Statuas, & marmor, & artificium, atque deſcriptionem vniuerſam, vix Magnificentia horum temporum æquant, meritoque propter ea Monumenta viſitur Vrbs Ticinum*; Et tandem ex ijs omnibus liceat inferre, quod conſtans veritas eſt, Corpus S. Patris, à tempore *Luitprandi*, vſque ad tempora *Vrbani Octaui* ſemper requieuiſſe in dicto Templo S. Petri, & in Scurolo poſt vltimam illius inibi depoſitionem, & ſic vſque ad hæc noſtra tempora, cum nulla ſit vox, & fama de aliqua illius ex poſtea facta translatione. Etenim in additione 2. *ad Bart. in l. ſiue poſſidetis num. 8. §. Not. ex hac parte* legitur: *Quod probato initio præſumptione Iuris præſumitur continuatio, ex ſola aſſertione partis, niſi probetur interruptio*, quod contra nos in cauſa præſenti a nullo præſtatur. Seú qui diù poſſedit, præſumitur adhuc poſſidere ex *Archid. in cap. Pontifices 7. q. 1. Abb. in cap. olim il primo col. 5. ſub num. 14. de præſcriptione; Tiraq. in tract. de præſcript. in Ver. continuè in gloſſa 5.*

Nunc autem addo, quod Corpus S. Patris, non tantum reperitur in Scurolo ſed inter Puteum, & Altare illius, & conſequenter, quod eſt illud idem nuper inuentum. Fauet mirè dictæ aſſertioni *Bonifacius IX. in dict. Conſt. pro ſingulorum §. 13. apud Mag. Empoli*, inquiens: *Et quoniam Altare Maius, & Altare inferius, iuxta Corpus ipſius Beati Auguſtini, per indiuiſum veniunt.* Ergo per Bonifacium, Altare inferius eſt iuxta Corpus S. Patris. Ergo Corpus inuentum eſt S. Patris, cum Altare inferius eſſet iuxta ipſum. Hæc veritas etiam eruitur ex libro manuſcripto Canonicorum Regularium Papiæ, qui dicitur *il Campione*, ſub his terminis. *Teſtantur &c. aliqui Scriptores Corpus ſupradictum* ſcilicet S. Patris, *quod translatum eſt à ſupradicto Oratorio*, ſcilicet Baſiij, & Florentij, *redditum fuiſſe, & deinceps ſemper requieuiſſe apud ſupradictum Fontem exortum, quod quidem in Cap. CONFESSORIS*, ſcilicet Scuroli, *ad totius Ciuitatis vtilitatem exiſtit, & hoc approbare videntur aliqua Pontificum Bulla*, vt V. G. *Leo X. in conſt. ſua* iam allegata, vbi poſt hæc verba: *Depoſitum exiſtit*, ſtatim ſubiungit: *Ibique Fons indeficientis Aquæ, qui vſque in hodiernum diem effluens, oſtendit inexhauribilem ſapientiæ eius Fontem.* Hæc confirmant Inſignes Aduenæ, & Regij Teſtes, & vt verbis vtar *P. Romualdi à S. Maria de inuentione Corporis Sancti Auguſtini §. 3. Ita ingenuè ſuperioribus annis Nobilis Aduena, Suecus Natione, confeſſus eſt. Cum enim inter alia celeberrima Vrbis noſtræ delubra, etiam hoc inuiſeret S. Petri, vt in CONFESSORIUM ingreſſus fuit, indigitans locum Depoſiti S. Patris, poſt aram, interrogatus vnde id noſſet, A REGE DOMINO MEO, reſpondit, qui id A REGE NOUIT GALLIARUM.*

Vim demum maximam his facit, quod in Scurolo nullum præter Auguſtini Corpus ſit tumulatum, & conſequentèr inanis ſit aliquorum aſſertio, qui inuentum ibi Corpus, alicuius Regis ſiué Gothorum, ſiuè Longobardorum eſſe deprædicant; Quod verò ſolitaria S. Patris in Scurolo ſit tumulatio, euidenter oſtendit *P. Romualdus à S. Maria loco ſupra cit. §. 6.* per totum, omnibus Regibus Gothis, & Longobardis ſuum extra Scurolum S. Petri Sepulcrum aſſignans. Et quamuis aliquis Rex in eodem Scurolo ſepultus eſſet, quod tamen eſt falſum, hoc nil faceret contra nos, quia adhuc certum eſſet Corpus inuentum, eſſe S. Patris, ex quo iuxta allegata teſtimonia inuentum eſt, inter Puteum, & Altare.

Arguunt contrà hæc Doctiſſimi, vt fertur, Viri, ſic: *Ex Sigiberto*, loco ſuperiùs cit. Ciues Papienſes, Corpus S. Patris *in profundo, & ſecretiſſimo loco, per tale artificium incluſerunt, quod auferri non poſſit, etiamſi illic multi per multum temporis laborarent*; Ergo non incluſerunt inter Puteum, & Altare, & conſequentèr &c. cum illa intercapedo à Solo aſſurgens, non ſit profundus, ſecretiſſimus, ac de difficili penetrabilis illius Sacri pignoris ſinus, vt res, oculus, & experientia demonſtrant.

Sed contra; Nam omnia illa immeritò inferuntur, immò euertuntur ex allato Sigiberti teſti-

teſtimonio, vt facilè patebit oppoſitoribus, ſi cum *Auguſtino Epiſt.* 119. *ad Ianuarium de ritibus Eccleſiæ cap.* 14. *in charitate radicati, atque fundati*, ſint, *vt poſſint comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, altitudo, ET PROFUNDUM.* Locus enim ille, inter Puteum, & Altare protenſus, etſi à Pauimento ſurgens eſt profundus, profunditate ſimul artis, ac Matheſis. Eſt profundus primo modo, quia non alitèr rudem, ac incompoſitam exteriùs faciem prætendit, niſi, vt omnem latitantis interius theſauri ſuſpicionem, oculatis adimeret Sæculorum inſidijs, ad exemplum S. Crucis, de qua *S. Pater Epiſt.* 120. *ad Honoratum, de gratia Noui Teſtamenti, cap.* 26. poſt emenſam illius longitudinem, & latitudinem ſcribit: *Iam verò illud, ex ligno, quod non apparet, quod fixum occultatur, vnde totum illud exurgit, PROFVNDITATEM ſignificat gratuitæ gratiæ, in quo multorum ingenia conteruntur id veſtigare conantia.* Eſt etiam profundus ille locus profunditate Mathematica, quia Subterraneis, ſicut, & totum *CONFESSORIVM*, quod nomine hoc Subterranei Sacelli apellari in Eccleſia conſueuit, teſte *Iordano Pace tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 12. *de Reconcil. Eccleſ. & Camet. num.* 88. Et demum huiuſmodi Cryptæ ſubtùs Chorum, ſiue aliam Eccleſiæ partem effoſſæ, erecto ibi Altari pro Miſſis, & patentibus aditis, ex Eccleſia, ſunt indubiè profundæ, vt teſtatur *Hieron. tom.* 2. *in Ezech. cap.* 40. *col.* 937. ſub his verbis: *Dum eſſem Romæ Puer, & liberalibus ſtudijs erudirer, ſolebam, cum cæteris einſdem ætatis, diebus Dominicis Sepulcra Apoſtolorum, & Martyrum circuire, crebroquè Cryptas ingredi, quę in terrarum PROFVNDA defoſſa, ex vtraque parte ingredientium per partes, habent Corpora ſepultorum.*

Fuit etiam locus ille Secretiſſimus, quia vix Summi Pontifices, ac grauiſſimi Authores à nobis relati, eum nobis indigitant. Quod ſi Sigibertus Papienſis rem ſub quodam generalium verborum cortice partim abſcondit, conſultó, ac virtuosè iudicandum eſt id feciſſe, ne ſcilicet diceretur prodere Patriæ, ſi proderet ſecretum Patriæ, iuxtà illud *cap. qui ambulat* 5. *q.* 5. deſumptum *ex prouerb.* 2. *Qui ambulat fraudulentèr, reuelat arcana; Qui autem fidelis eſt, cęlat Amici commiſſum.* Sic, & Abraham, ne vitam in diſcrimen adigeret inter Ægyptios, Saram Vxorem ſuam, non iam ſpeciali vxoris nomine apellare voluit, ſed generali, Sororis, vt notat *Hieron.* relatus *in cap. vtilem* 22. *q.* 2. *& gloſſa ibi.*

Tandem fuit etiam de difficili penetrabilis ille locus, cum neceſſe fuerit exteriorem parietis faciem diſcerpere, fortia Arcæ Marmoreæ latera, paulatim comminuere, valida argenteæ in ea incluſæ capſæ ſigilla confringere &c. Illa autem verba *Sigiberti*: *Quod auferri non poſſet, etiamſi illic multi per multum temporis laborarent*, pręſumuntur artificiosè dicta, ad deterrendos à ſpe furti, exteros, ac potentes. Solùm addo in plauſum eiuſdem Auctoris, quod tam pretioſum in Scurolo pignus inueniri quidem anteà potuit, auferri verò nullo vnquam tempore potuit. Quia, vt olim Heliodorum ab Antioco ad diripienda quadringenta argenti, ac auri ducenta talenta in Templo Ieruſalem miſſum, *duo de Cœlo Iuuenes circumſteterunt, & vtraque ex parte flagellabant Sacrilegum, ſine vlla intermiſſione, continuato verbere*, vt fusè ſcribit *Ambroſius tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 29. Ità Corpori S. P. nil vnquam timendum fuit, pendentibus adhue de manu eiuſdem in ſuarum Reliquiarum Inſidiatores, vltoribus flagris. Et ſic &c.

§. II.

Identitas Reliquiarum &c. ex fama, traditione, & teſtibus euidentèr oſtenditur.

ETiamſi non ſit nobis recurendum ad coniecturas, & præſumptiones, cum ſumus in caſu certo *l. ille, aut ille* §. *cum in verbis ff. de legatis, & l. continuus* 35. § *cum ita ff. de verb. oblig. ex Paulo Zachia lib.* 10. *quæſt. medico legalium deciſ.* 41. *Rota Romana num.* 25. & adiectione plenitudo non egeat ex *cap. ſi omnia* 6. *q.* 1. *& cap. benè quidem diſt.* 69. *in princ.* id tamen ad exuberantiam fieri nulla lege vetitum eſt.

Et

Et ſic quamuis ſolitariam Corporis S. Auguſtini tumulationem in Scurolo, & ex conſequenti illius identitatem magnæ Auctoritatis Chronicæ, ac hiſtoriæ indubitatam iam fecerint, eamdem tamen ex conſtanti, ac publica fama &c. abundanti calamo oſtendimus.

Et quidem dari hanc famam de ſolitaria dict. Reliquiarum exiſtentia in Scurolo S. Petri ad Cœlum Aureum, ſeú vehementem vulgi, ac maioris partis eius opinionem eidem conſentientem, euidens eſt. Immó hæc eò vſque extendit confinia, vt non ſolum Ticinenſes Ciues, ſed exteri etiam Tranſalpini, immó, & Principes, ac S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales, cum Eccleſiam S. Petri in Cœlo Aureo, veneraturi Reliquias S. Patris ingrediuntur, non ad aliam Eccleſiæ partem, quam ad *CONFESSORIVM*, ſeù Scurolum accedant. Certum eſt autem, quod fama, & vox publica de aliqua re inducit iuſtam cauſam credendi *ex Panor. in cap. cum contingat num. 4. de reſcriptis, Angel. in l. Athletas §. calumniator ff. de infam. Butr. & Imol. in cap. 2. de Calum. & Salycet. in l. Mater Cod. eodem tit.* in quibus locis habetur, quod fama, vel excuſat à calumnia *Bart. in l. 1. §. 1. ff. ad Turpil. in l. Celſus in 3. col. ibi. Etſi dicatur qualiter &c. de Vſucap. in l. proprietatis, &* ibi. *Bald. Cod. de prob.* Igitur, cum ſit publica vox, & fama de ſolitaria Corporis S. Auguſtini tumulatione &c. hæc ſaltim debet iuſtam id credendi cauſam ingenerare animo Judicis; Et hæc eò magis valent, cum talis publica, ac generalis Papiæ Ciuium opinio, non ſit à Noſtris procurata, vt de ſe patet, ex *Bart. in l. Mileſ. §. Mulier. ff. de adult.*

Nec obſtat, quod aliqui pauci Corpus S. Patris ſub Altari S. Appiani requieſcere velint, & quemdam de hoc rumorem, famæ ſimilem excitent; Nam, etſi probatio, admittatur contra probationem famæ, ſeù fama famæ obſiſtat ex *Bart. in dict. l. Miles. §. mulier ff. de adult. & Panor. in cap. Cum in tua, num. 3. de ſponſ.* & non ſit ita potens, vt auferat legitimam exceptionem ex eodem in *cap. 2. num.* 15. *de reſt. ſpol.* tamen fortior fama obſcurat effectum debilioris ex *Bart. in l. de minore §. ſi plurium num.* 19. *ff. de quæſt. Maſcardo de prob. concl.* 750. cum pluribus alijs ab eo citatis, & *Iordano Pace tom. 3. lib. 14. tit. 17. de prob. quæſt. Fama quomodo probetur num.* 133. quatenus ait: *Si fama probetur ab vna parte per teſtes affirmatiuè, & ab alia negatiuè, fides habenda erit dignioribus, & in paritate, illis pro quibus veriſimilitudo, & præſumptio magis militaret.* Quis autem neſciat, quod fama à nobis allegata eſt omnibus modis excedens contrariam, cum prima innitatur teſtimonijs S. Sedis, hiſtorijs, & alijs, vt videbimus adminiculis, ſecunda verò ortum ſuum obſcuriſſimum habeat, ac vtpotè irrationabilis ſe ipſam nec benè prodat, nec abſcondat. Quod autem vigeat fama à nobis allegata, probarunt noſtri exuberanter productione plurium, & plurium teſtium, cum tamen ſufficiant duo teſtes ex *Iordano Pace ibidem num.* 130. *cum Bart. in dict. l. de minore, §. ſi plurium &c.* & alijs plena manû comulatis per *Maſcard. concl. 749. Verſ. fama igitur num. 1. cum duobus ſeq.* Immò *Gulielmus Durandus ſpec. lib. 3. p. 1. tit. de notorio crimine §. Nunc de occulto in additione verſ. adde quod fama* ait, quod fama cum vno idoneo teſte facit plenam probationem, cui conſonat gloſſa in *cap. 1. ver. famam extrà de appell. Bart. in l. 2. num. 9. ff. de executione Tutorum Baldus in l. Gallus §. 1. circa finem ff. de liberis, & Poſthumis, Card. conſ. 9. circa finem, Cepolla in conſ. 27. poſt medium, & conſ. 28. circa finem in primo vol.*

Hæc autem maximè ſubſiſtunt, cum verſemur in antiquis hominum memoriam, terque quaterque excedentibus, ſcilicet in vltima depoſitione Corporis ſæpedicti in Scurolo, quæ contigit tempore Vrbani IV. cum temporibus Honorij Tertij fuerit alibi aſportatum à B. Florentio *anno* 1223. & poſt quadraginta annos Scurolo reſtitutum à DD. Rectoribus Papiæ, & conſequenter *anno* 1263. in quo florebat Vrbanus præfatus, vt videre eſt apud *Panuinium de Pontificibus Maximis fol.* 153. Quod autem fama plenè probet in antiquis docet *Guilel. Dur. in additionis ad tit. de prob. verſ. qualiter probetur*, vbi concludit, quod in factis multum antiquis opinio generalis habetur pro veritate, *Innocent. in cap. veniens extra de verb. ſignif. & in cap. cum cauſam extra de Iuramento calumniæ Imola in cap. cum cauſam extrà de probat.* cum

quo vadit *ibi Felynus in verb. famam num. 9. col. 455. & in cap. veniens il. 1. de Teſtibus verſ. prima concl. num. 7. col. 539. Bal. in l. conuenticulam Cod. de Epiſcopis, & Clericis, Authen. quas actiones vlt. col. Cod. de Sacros. Eccleſijs.*

Neque dicas, quod fama non eſt plenæ probationis regulariter in cauſis Canonizationis ex *l. 3. §. eiuſdem antiqua ff. de teſtibus, & ibi Accurſ. & Bart. ver. confirmas, & Dec. cap. 1. de Probationibus*, & conſequenter nec in materia identitatis Reliquiarum cum, & hæc ſit altiſſimæ inſpectionis, ac de maioribus, vt quidam probat ex *Gloſſa in cap. unico de Reliquijs, & Vener. SS.* Hoc enim poſito, ratio eſſet eadem, & conſequentèr eadem iuris diſpoſitio ex *Barb. Axiomat. iuris Vſufreq. Axiom.* 197. *num.* 4. cumulatis iuribus, & Auctoribus idem dicentibus.

Contra enim ſtat *Lezana de Canoniz. SS. p. 5. de Miraculis B. Andreæ Corſini §. 1. num.* 259. ſub his verbis; *Quarto adeſt communis opinio, publica vox, & fama, quod iſte B. fecerit miracula, quod genus probationis in antiquiſſimis plené probat, & in Conſulr. 1. ſub eodem tit. num.* 42. dicens, quod quando fama miraculorum eſt notoria, & probabilibus coniecturis, aut veriſimilibus argumentis innititur, præſtat iudicium efficaciſſimum ad effectum Beatificationis, ſeù Canonizationis Sanctorum, quod colligit ex litteris: *Dominum excelſum Paſchalis II.* pro Beatificatione Petri Epiſcopi Ananienſis, *Alexandri III.* in litteris: *Redolet Anglia*, pro Canonizatione S. Thomæ Epiſcopi Cantuarienſis; *Gregorij IX.* in litteris: *Mira circa nos*, pro Canonizatione S. Franciſci, & alijs, quas etiam refert *Fortunatus Sachus de Cultu, & Ven. SS. lib. 1. ſect. 9. cap. 7.* Ex ijs autem ſic arguo: In materia Canonizationis ſufficit fama cum probabilibus coniecturis, ac eiuſdem rationis argumentis; Ergo in materia Reliquiarum plus non requiritur, cum non ſit altioris inſpectionis; Ergo cum pro ſolitaria præfati Corporis tumulatione in Scurolo probanda, non ſolum fama circumſonet; ſed accedant argumenta fortia idem probantia ex §. Superiori, ac alijs ſequentibus, vt videbimus, quid vltrò deſideratur?

Non ſolùm autem ſolitariam inferimus illam tumulationem in Scurolo ex clamoſo famæ teſtimonio, ſed, & in loco loci, nempè in illa intercapedine inter Puteum, & Altare, in qua ſacratiſſima Auguſtini Oſſa à noſtris ſunt inuenta, ex antiquiſſima, ac conſtanti traditione à maioribus, vſque ad hæc noſtra tempora deſcendente. Quanta autem ſit traditionis Auctoritas benè norunt Sapientes, quibus compertum eſt, quod vel ipſa fidei dogmata, ac mores Eccleſiæ non ſemel ad nos de ſolo fluxere Fonte traditionis. Sic noſter *Caquanus in ſuo Antimornæo tom. 1. fol. 15. col. 1. verſ. Vetus ille, & quò annis grauior*, ait: *Nota vera Eccleſia, & certiſſimum veritatis argumentum apud Patres antiquitas eſt.* Sic *D. P. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.* 24. ait: *Quod vniverſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum, rectiſſimé creditur, & lib. 2. de Baptiſmo contra eoſdem Donatiſtas*, conſuetudinem Eccleſiæ non rebaptizandi Batizatos ab Hereticis, contrà ſententiam olim Cypriani, de Apoſtolica traditione deſcendere docet; ſic: *Quam conſuetudinem Credo ex Apoſtolica traditione venientem, ſicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in Concilijs poſteriorum; Et tamen, quia per vniverſam cuſtodiuntur Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita, & comendata creduntur.* Sic *Leo in ſermone red. de Ieiunio Pentecoſtes cap. 1.* ait: *Dubitandum non eſt Dilectiſſimi omnem obſeruantiam Chriſtianam eruditionis eſſe diuina, & quidquid ab Eccleſia in conſuetudinem Deuotionis eſt receptum de traditione Apoſtolica, & de Sancti Spiritus prodire doctrina.* Et ſic *Stephanus Papa* aduerſus impugnatores Baptiſmi hæreticorum, teſte *Cypriano Epiſt. 74. ad Pompeium* relata à *Baronio anno D. 53. num.* 21. dixit: *Nihil innouetur, niſi, quod traditum eſt.*

Hac de cauſa nil vnquam definiuit Eccleſia, ſine præuia traditionum face, vt teſte *Baronio ad eumdem annum num.* 31. docet *Vincentius Lerinenſis de hæreticis cap.* 32. ſub his verbis: *Nec quicquam præterea hæreticorum nouitatibus excitata, Conſiliorum ſuorum Decretis, chatolica quid perfecit Eccleſia, niſi, vt quod prius à maioribus ſola traditione ſuſceperat, hoc deindi poſteris, etiam per Scriptura Chirographum conſignaret.*

Hinc

Hinc *ſexta Synodus act. 4. ex Epiſt. Agathonis* Romani Pontificis vt refert *Pannirius de Primatu Petri p. 1. cap. 9. fol. mihi* 103. ait: *Hæc eſt vera fidei regula; quæ per Dei Omnipotentis gratiam, à tramite Apoſtolicæ traditionis, nunquam erraſſe probabitur. Michael Caleca* pariter *lib. 4. contrà Græcos*, relatus in *Biblioth. veterum Patrum tom. 26. fol. 448. ad litt. B.* teſtatur, quod in Synodo Lugdunenſi celebrata *anno Chriſti 1274. ſub Gregorio X.* cui interfuit Michael Paleologus, & Quadringenti fermè Epiſcopi, declaratum eſſe, toto approbante Concilio, antiquiſſimam Eccleſiæ traditionem eſſe, & veram fidem, Spiritum S. à Patre, & Filio, veluti ex vno principio procedere. Et ne per ſingula Concilia diſcurramus, *Tridentina Synodus ſeſſ. 4. de Canonicis ſcripturis, traditiones ipſas tùm ad fidem, tùm ad mores pertinentes, tanquam vel oretenùs à Chriſto, vel à Spiritu S. dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſeruatas, ſuſcipit, & veneratur, & ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſſæ cap. 5.* fatetur ſe ex ſola Apoſtolorum traditione accepiſſe, quod *quædam ſubmiſſa voce, alia verò elatiore in Miſſa pronuntiarentur*, & demum eadem, conformitèr ad Apoſtolum, qui *2. ad Theſſal. 2.* ait: *Laudo vos per omnia, quoniam memores mei eſtis; & ſicuti tradidi vobis traditiones tenetis, ſiuè per ſermonem, ſiuè per epiſtolam, ideſt ſiuè verbo, ſiuè ſcripto*, diſtinguens inter dogmata ſcripta, & tradita *ſeſſ. 7. de Confirmatione Can. 8.* hæc definit: *Si quis dixerit Baptizatos liberos eſſe ab omnibus Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta, vel tradita ſunt, itaut ea obſeruare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerit anathema ſit.* Ex his autem ſic arguo: Si Eccleſia tanti facit traditiones vt ſolo illarum ductu, mores ſuos cuſtodiat, ac propoſitiones de fide definiat, cur traditiones de identitate reliquiarum nos aſpernabimur?

Scio hic dicturos Oppoſitores eſſe valdè diſparem auctoritatem traditionis Apoſtolicæ quæ virtualitèr diuina eſt, ac puræ traditionis humanæ, vt ſumus in caſu, ac proinde benè poſſe Eccleſiam illius ſuffragio vti in materia fidei, non verò huius, & ſic nec in materia cultus Reliquiarum, tot obnoxia ſuperſtitionis periculis, & conſequentèr non rectè proceſſuram, ſi ad declarandam identitatem Corporis S. Auguſtini &c. vteretur face traditionis ſolùm humanæ, quæ fallibilis eſt.

Sed contra; quia, & ſi non ſit par vtriuſque traditionis auctoritas, tamen etiam traditiò purè humana, antiqua, & conſtans de identitate Reliquiarum ſufficere debet ad eas cultui publico ſinè aliquo erroris ſcrupulo proponendas; Sic *Athanaſius lib. 1. de Decret. Nicænæ Synodi contrà Euſebium*, relatus *ab Anſoſſio de Sacr. Reliquiarum cultu &c. §. 22. num. 30.* ait: *Ecce enim nos quidem de Patribus ad Patres, per manus traditam harum Reliquiarum ſententiam &c.* Sic Helena medio traditionis lumine perexit Hieroſolymam ad Jnuentionem S. Crucis, teſte *Nicephoro lib. 8. hiſt. Eccleſ. cap. 29. col. 398.* ſub his verbis. *Plurimi porrò faciebat, vt Crucis Lignum, & viuificum Chriſti monumentum inueniret; Et quantumuìs difficultèr, tamen eam tandem inuenit, vt quidam dixere: Iudæo homine ex paterna quadam annotatione regionem indicante &c.* Et demum *Gregorius Magnus tom. 2. ad interogationes Beati Auguſtini Angliæ, Apoſtoli fol. 253. col. 1. in princ.* ait ſufficere traditionem illam de paſſione alicuius Sancti, ad venerandas illius exuuias tanquam Martyris ſub his ponderoſiſſimis verbis: *Mihi tamen videtur, quiá ſi Corpus, quod à Populo cuiuſdam Martyris eſſe creditur, nullis illic miraculis coruſcat, & neque aliqui de antiquioribus exiſtunt, qui ſe à Parentibus paſſionem eius audiuiſſe fateantur, ita Reliquiæ, quas petiſti ſeorſim condendæ ſunt; vt locus, in quo præfatum Corpus iacet, modis omnibus obſtruatur, nec permittatur Populus certum deſerere, & incertum venerari.* Ergo ex mente S. Pontificis, ad cultum Reliquiarum concedendum, multum conducit pondus vel puræ traditionis humanæ, quod nempè aliqui de antiquioribus exiſtant, qui ſe à Parentibus audiuiſſe fateantur, & conſequentèr conſtantia antiquæ traditionis de exiſtentia Corporis S. Auguſtini, ac loco loci, in quo eſt repertum, ad concedendam illius ſolemnem expoſitionem, erit ſufficiens.

Neque quis dicat haberi quidem in pretio à Gregorio traditionem; famam &c. ſed quam deponant teſtes idonei, non verò domeſtici, cum potiſſimum agitur de re ipſos

tangen-

tangente, & quæ in eorum vtilitatem, vel commodum cedit ex *l. etiam, & l. omnibus Cod. de Teſtibus l. nullus ff. eodem titulo cap. in locis*, & ibi *gloſſa eodem, Abb. in cap. 1. de Procur. num. 4. & Farinac. de Teſtibus q. 60. num.* 2. Planum eſt autem, quod in pręſenti cauſa Reliquiarum &c. aliqui teſtes ſunt Auguſtini filij: qui idcircò in fauorem Patris teſtari nequeunt ex *l. teſtis idoneus ff. de teſtibus* cumulatis Auctoribus à *Farinac. eodem tit. q. 54. reg. 3. num.* 145. ac *Iordano Pace tom. 3. lib. 14. tit. 18. eodem tit. num.* 182. Hæc enim facile diluuntur. Nam in ijs, quæ a nullo melius ſciri poſſunt, quam a Domeſticis, non ſolum, non ſunt illi repellendi a ferendo teſtimonio, ſed alijs præferendi, loquendo de cauſa ciuili, vt ſumus in caſu ex *cap. veniens* in fine *de Teſtibus*, ex *Paſchali II. in cap. ſuper prudentia 14. quæſt. 2. l. quoties Cod. de Naufrag. & l. conſenſu §. Plagij Cod. de repud.* & latiſſime *Farinac. in praxi Crimi. p. 2. quæſt. 55. inſpect. 1. limit. 3. num. 35. 36. & 37.* Et hæc potiſſimum procedunt in materia Canonizationis. Hinc *D. Bonauentura in prologo legendæ Sancti Franciſci*, ait: *Cum Familiaribus Sancti Viri collationem habui diligentem, & maximè cum quibuſdam, qui Sanctitatis eius, & conſcij fuerunt, & Sectatores præcipui*; Immó ipſa eadem Eccleſia Romana admittit pro Canonizandis Sanctis teſtimonium domeſticorum, & conſanguineorum. Vnde teſtatur *Ioannes Franciſcus de Pannimis*, in informatione pro Canonizatione S. Bonauenturę que habetur *tom. 1. Opuſcul. eiuſdem Sancti p. 2. art.* 4. quod Bonifacius IX. admiſit teſtimonium filiæ S. Birgittæ ad probanda miracula Matris eius; Et ſic nil poteſt infirmare noſtrorum Patrum teſtimonium. Et etiamſi fortis alia eſſet contra eos exceptio, quod non credimus, adhuc nihil contra nos, cum tot alij indifferentes teſtes ſuperſint, quorum numerus limites legis excedit.

Hic placet referre exceptionem extraiudicialem mihi delatam, cuiuſdam Viri, quem reuerentiæ cauſa non nomino, qui ait: neque noſtris Patribus, neque alijs teſtibus a nobis productis credendum eſſe, eo quod nullam dicti ſui rationem reddiderint. Nec hanc refellimus, niſi admonendo hunc D. quod cum leges ſtatuunt rationem eſſe reddendam a Teſtibus, non eſſe ſenſum, quod illi teneantur dicta ſua probare aliquo Syllogiſmo demonſtratiuo, quod eſt ridiculum, ſed quod teneantur aperire, quomodo ſciant factum, vel dictum, de quo teſtificantur, vt *Iordanus Pax. eodem tit. & lib. num.* 925. nempe quod ſciant per ſenſum aliquem externum, Viſus, Auditus, guſtus, odoratus, aut tactus; vt *Bart. in l. ſolum in* 1. lectura, & ibi *Io: Sicar. num. 3. Cod. de Teſtibus, ac in l. num. 117. & ibi Bald. num. 3. ac Iaſ. num. 15. ff. ſi certum per.* cum reliquis ampla manu cumulatis per *Farinac. quæſt. 70. de Teſtibus num.* 127. Seù ſenſus tantum eſt, quod debeant probare dictum ſuum per ſenſum accomodatum rei, quam teſtantur, nempè teſtando quod viderint, loquendo de coloribus, quod audierint, loquendo de verbis &c. vt *Farinac. ibi num.* 128. Hoc autem modo certum eſt, noſtros Teſtes, probaſſe dictum ſuum, licet non argumentati fuerint in Barbara, vel in Baroco. Concludimus igitur cum *D. P. Auguſtino ſerm. 2. de verbis Apoſtoli cap. 7. Videte acumen, ſed vitreum, quod lucet vanitate, ſed frangitur veritate. &c.*

§. III.

Identitas Reliquiarum &c. ex inſpectione earumdem, ſtatu, ac aliquibus coniecturis intrinſecis euidenter oſtenditur.

HVC vſque pro Auguſtino pugnauimus, ſed qui noſtrorum armorum non eget. Iam enim, non tam longas filiorum ſuorum lacrimas, quam doctos etſi aduerſantium calamorum latices, geminata ſui nominis lectioné ſiccauit. Legimus illius nomen, *Agoſtino*, Gothicis caracteribus, primum in cæmenti parte, deinde in craſſitudine operculi Arcæ marmoreæ exaratum, quod nobis, immò vniuerſo Orbi, non niſi Auguſtini eſſe, latitantia interius Oſſa diſcooperit. Sic non aliter probatum

fuit

ſuit Elenæ tria inter eruderata patibula, viuificum noſtræ Salutis pignus, niſi quia; vt firmat *Ambroſius in Oratione funebri de obitu Theodoſij Imperatoris*, in medio patibulo præfatus titulus erat: *Ieſus Nazarenus Rex Iudeorum*, Et ex *Baron. tom. 9. Annal. anno Chriſti* 820. *num.* 39. dum tempore Gregorij XIII. periculum eſſet, ne S. Fælix II. non tám de Martyrum Catalogo, quam Sanctorum expungeretur, quod Arianorum fauore, Petri Cathedram aſcendiſſet, inuenta eſt fortuito in Diaconia SS. Martyrum Coſinæ, & Damiani, marmorea capſa cum Corpore ipſius, ac inſcript lateri nomine ſic: *Corpus S. Felicis Papa, & Martyris, qui damnauit Conſtantium.*

Ratio autem noſtræ illationis eſt, quia vt docet *Theodorus Hoepinghius de Iure Inſignium cap.* 1. §. 1. *Nomen eſt imago quadam, qua quid noſcitur, Inſtrumentum quaſi quoddam cognitionis. Quoniam quo pacto lex ſuum cuique tribuit, ita, & nomen ſuam cuique Imaginem reddit.* ſeú nomina ſunt inuenta ad diſcernendas Perſonas, ex *l. ad recognoſcendos* 10. *Cod. de Ingen. & manum. l.* 1. *Cod. de Offic. Prafecti Urbis l. defenſores nihil Cod. de defenſoribus Ciuit. ex Caſſaneo in Catal. gloria Mundi conſider.* 38. *concl.* 44. *Menoch. lib.* 3. *Praſumpt.* 64. *num.* 1. *Crauet. conſ.* 169. *num.* 4. *verſ. Et clarum eſt in Iure, & Surdo Conſ.* 378. *num.* 2. Ex hoc autem fit, quod diuerſitas nominis faciat præſumere diuerſitatem rei, & ex nomine in dubio probetur rei eſſentia, vt poſt. *Bald. Conſ.* 205. *Crau:* 400. *num.* 33. *Surdus Conſ.* 311. *num.* 28. *& Decian: reſponſ.* 15. *num.* 54. *vol.* 1. *& reſponſ.* 22. *num.* 3. Igitur &c.

Reſpondebunt forſan Oppoſitores hæc valitura, ſi nullus alius, eodem, quo S. P. Auguſtini nomine nuncuparetur, ſeù ſi non eſſent alij plures eiuſdem nominis ex Bart. in *l. ſi in rem num.* 1. *ff. de rei vend. gloſſa ac DD. in l. hac conſultiſſima in princ. Cod. qui teſtam. facere poſſunt ac, Felyno in proemio Decret. Summario* 2. *num.* 31. Plures autem eſſe Auguſtinos nullus ambigit. Et ſic &c.

Sed contra eſt, quia, etſi reperiantur alij præter S. Patrem, Auguſtini, vt V. G B. Auguſtinus Triumphus Anconitanus, vel Alius B. Auguſtinus, quem S. Gregorius Papa Legatum in Angliam miſerat, vt iam vidimus, & cuius mentionem facit *Leonardus Coquaus in ſuo Antimornao tom.* 1. *pag.* 322. *col.* 2. *verſus finem*, tamen hoc nomen *Agoſtino*, abſolutè prolatum, ac ſine aliqua alterius termini reſtrictione, non ſupponit, niſi pro S. Patre, vt ſatis ſuadet modus loquendi totius Eccleſiæ. Sic, etſi Ioſeph Patriarcha, quod conſilio ſuo ſeptennem Egypti ſterilitatem eluſerit, ac de alimentis ei neceſſarijs proſpexerit, nomine Seruatoris Mundi fuerit inſignitus, vt *Hieronym. ſup. Gen. cap.* 4. tamen ille titulus abſolutè prolatus non congruit, niſi Chriſto. Sic Phocion, Athenienſis ob frugalitatem Chreſtus, ſeú Bonus eſt cognominatus, vt *Alex. lib.* 2. *cap.* 11. *ex Plutarcho, & Niceph. lib.* 8. *Eccleſ. hiſt. cap.* 18. *col.* 382. *verſus princ.* vbi de Epiſcopis proſcriptis, qui in Synodo Nicæna Arrio adhæſerunt, ac alijs in eorum locum lectis, ait. *Pro Euſebio enim Nicomedia Amphilon, prò Theognide autem Nicaa Chreſtus Epiſcopi facti &c.*, & tamen illud nomen Chreſtus, ſeú Chriſtus ſimpliciter dictum ſolum ſtat pro Uerbo Incarnato. Quid plura? hoc nomen Deus, dicitur de Sanctis, adoptionis gratiam adeptis ex *Irenao lib.* 3. *cap.* 6. *& D. Thoma* 1. *p. queſt.* 13. *art.* 9. *Origene lib.* 8. *in Exodum, & Auguſtino lib.* 9. *de Ciuit. Dei Cap.* 23. *per totum*, immò etiam de Demonijs, vt patet ex illo *Pſal.* 95. *Omnes Dij gentium Damonia*, & tamen ſec. ſuam propriam ſignificationem Solum Deum per Eſſentiam ſignificat, vt *D. Thomas* ibidem ſic: *Cum hoc nomen Deus impoſitum ſit ad ſignificandum naturam Diuinam, natura autem Diuina multiplicabilis non ſit, ſequitur, quod hoc nomen Deus incommunicabile eſt ſec. rem.* licet non ſec. ſimilitudinem, vt poſtea ſubiungit. Et D. Baſilius rem totam complectitur ſic: *Et homo Deus dicitur, vt cum legitur. Ego dixi Dij eſtis, & Damon Deus dicitur ſec. illud: Dij gentium Demonia, ſed illi quidem ſec. gratiam, iſti verò per mendacium Dij nominantur; Deus autem ſolus, per eſſentiam Deus eſt.* Et ſic &c.

Addo retorqueri poſſe reſponſionem in Oppoſitores. Nam per ipſos nomen ſignificat perſonam determinatam, cui primordialiter impoſitum eſt, ſi non ſint aliæ eiuſdem nominis. Sed ſic eſt, quod nullus eſt alius Auguſtinus, qui tumulatus ſit in Scurolo

ſupra-

ſupradicti templi, vt ipſi tacentur præter noſtrum Sanctum Patrem; ergo hoc nomen, *Agoſtino*, nullum alium indigitat Auguſtinum præter ipſum.

Suam etiam eidem nomini vim ingeminat tot in § ſuperioribus, argumenta, ac indicia ventilata, ac noua alia inferius examinanda, teſte *Bart. in l. demonſtratio falſa* 16. *quæſt.* 27. §. *ſeptimo quæro num.* 14. quatenus ibi ait: *Debetis ſcire, quod ad demonſtrandam perſonam perfectè, debet exprimi nomen cum duobus alijs accidentibus vel indicijs*. Neceſſe eſt ergò inferre, quod illud nomen, cumulatiuè cum alijs adminiculis, ſacratiſſima nonniſi Auguſtini Hipponenſis oſſa demonſtrat. Conſonat his explorata apud Authores veritas, quod ſi inueniantur Reliquiæ alicuius Sancti iam ab Eccleſia approbati, cum ſcriptura eas indiuiduante, ex ſolo illius teſtimonio, quocumque alio circumſcripto, poſſunt publicæ venerationi confidi, vt *Ioannes Andr. in Cap.* 1. *de Reliquijs, & Ven. SS. num.* 6. *Azor. p.* 1. *Inſtit. moral lib.* 9. *cap.* 8. *queſt.* 8. *Barb. de Offic. & poteſt. Epiſcopi alleg.* 97. *num.* 11. & ſeqq. licet prius eas approbante, ac recognoſcente Ordinario, vt *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *in decret. de inuocatione &c.* antiquata diſpoſitione textus in dict. *Cap.* 1. *de Reliquijs &c.* teſte *Barboſa in eodem cap. num.* 4. Et his conſonat *Conſt.* 8. *Sixti V. apud Laert. Cherub. tom.* 2. *pag.* 644. quæ incipit: *Dominus* dat. idibus Nouembris 1588. quæ poterit videri. Sed non diu *de nominibus laborandum, cum res conſtat* ex *D. Patre tom.* 1. *fol.* 250. *col.* 2. *in princ.* vt ſumus in caſu.

Etſi autèm non vna via iam conſtet identitas Corporis &c. ea tamen, quando omnia alia deficerent, ex earumdem inſpectione Reliquiarum, ſatis, ſuperque dignoſcitur. Seù notatus in diligenti, ac gemina illarum viſitatione ab Anatomiſta, coram Curia Epiſcopali facta, Brachij defectus, veritatem rei vel palpabilem facit. Certum eſt enim, vt legitur in *Theatro vitæ humanæ V. Religio pag.* 936. *litt. D.* quod *Alchenotus Cantuarienſis, brachium S. Auguſtini, Papiæ vno talento auri, & centum argenti miſit Venturiam*, quæ confirmantur ex *Vincentio lib.* 25. *cap.* 15. *ex Ricciol. in ſua Chronol. reform. tit.* 2. *fol.* 137. *& tit.* 4. *fol.* 210. *ex Monaſtico Anglicano tom.* 2. *pag.* 303. *ex Annal. Eccl. Angl. tom.* 3. *ad annum Chriſti* 1020. *ex Haſperfeldo ſæcul.* 2. *cap.* 10. *fol.* 232. licet vtatur nomine contermino Elgenoti, non Alchenoti ſic: *Elgenotus Romam profectus honorificè à Benedicto Pontifice exceptus, pallium ſecum tulit, in quo itinere ingenti pecunia, Brachium S. Auguſtini emit apud Papiam, & in Angliam tranſmiſit*. Et tandem *Guilelmus Monachus Benedictinus Bibliotecarius Monaſterij Maleſburienſis*, qui teſte *Bellar. de ſcript. Eccleſ.* floruit *anno* 130. teſtatur *lib.* 2. *de Regibus Angliæ cap.* 2. *fol.* 165. reperiri Conuentriæ Brachium S. Auguſtini in quodam argenteo Reliquiario ſub inſcripto eidem, horum verborum teſtimonio: *Hoc Brachium S. Auguſtini Elgenotus Archiepiſcopus, rediens à Roma ad Papiam emit centum talentis argenti, & vno auri.*

Cum autem iſte Alchenotus, ſeù Elgenotus teſte *Michaele Alfordo tom.* 3. *annal. Eccleſ. Angl. ad annum Chriſti* 1020. eſſet *vir, in quo pietas cum eruditione, manſuetudo cum humilitate contendebant* non eſt credendum, quod in rigore dictum Brachium emeret, ſeù ſimoniacè, ac piiſſimi Papiæ Ciues ſub tali pretio diſtraherent, vt olim faciebant quidam Pſeudomonachi teſte *Auguſtino de opere Monachorum cap.* 28. quos compeſcuit Theodoſius Imperator *l. vlt. Cod. de Sepulcr. viol.* vt refert *Spond. anno Chriſti* 386. *num.* 2. Nec hæc auctoritate carent, cum *Ferrandus Amicienſis in ſua diſquiſ. Reliquiarum lib.* 1. *cap.* 10. cum *S. Antonino p.* 2. *tit.* 6. *cap.* 7. §. 3. eoſdem nobiſcum ſenſus expendat, licet fortè deceptus cum *Baron. in Epitome Spond. ad annum D.* 1027. *num.* 2. loco Alchenoti, quem *Canutus Rex multó proſequebatur honore, & in conſilijs intimum adhibebat, ex Alfordo loco cit.* Canutum ipſum ſupponat, ſub his verbis: *Cenſuit igitur Archiepiſcopus*, ſcilicet *Antoninus, æquè conditione, ac vitæ Sanctimonia ſpectatiſſimus, Regem Angliæ, Brachium S. Auguſtini Doctoris ſibi liberalitèr donantibus, tantam pecuniæ vim munificentiſſimè redonaſſe, ne videretur ingratus, aut Papienſibus, de amore, gratia, ac liberalitate conceſſiſſe*. Vel dicere poſſumus, & fortè veriſimiliùs, quod eam pecuniæ ſummam Rex Canutus impenderit, licet per manus Alchenoti. Nam *noſtra omnia facimus, quibus auctoritatem noſtram impartimur l.* 1. §.

omnia

omnia Cod. de veteri iure enucl. & ex gloſſa in ver. conſule in §. plebiſcitum Inſtit. de iure naturali: Et aliundè conſtat ex *Spond. ad annum Chriſti* 1016. *num.* 2. dictum Regem Canutum, fuiſſe valde Chriſtianum, & pium, *curamque diligentem Eccleſiarum habuiſſe*, ac fuiſſe liberalem cum ſeruis Dei, vt apparet, ex *D. Gulielmo Malmesburienſi ibidem cap.* 2. *in fine*, referente apud *Spond.* ibidem ſcriptam ad eumdem Canutum Epiſtolam, à Fulberto Epiſcopo Carnotenſi, cum accepit ab eo miſſum munus.

Sed ſiuè hoc, ſiuè illo modo dicamus, nobis ſatis eſt inueniri Conuentriæ Brachium S. Patris, & ſic ſuboriri violentiſſimam præſumptionem, ac indubitatam, quod ſit auulſum à Corpore adinuento &c. Vt enim, ſi quis pallenti vultu, ac cum gladio ſanguinolento egrediatur de domo alicuius, in qua reperitur aliquis mortuus, præſumitur delictum ab eo indubiè perpetratum ex *Ioanne Andr. in addit. ſpecul. in tit. de prob. §. fin. verſ.* 13. *Farinac. de delictis tom.* 1. *lib.* 1. *tit.* 5. *quæſt.* 52. *num.* 98. ac *Barb.* cum eo, *in repert. pract. Concl. ver. delictum*, quatenus conſimili ſenſu ait, quod *oritur indicium contrà Dominum Domus, quando in eius domo reperitur aliquis mortuus*, Ita cum certum ſit, Brachium S. Patris in Conuentriam tranſmiſſum de Templo S. Petri, in quo eius Corpus ſemper iacuit, vt probauimus §. 1. & reperiatur in eò Corpus cum defectu illius, oritur violentiſſima præſumptio, quod tale Brachium fuerit ab eodem Corpore ſeparatum, propter identitatem rationis, vt patet. Vbi autem eſt eadem ratio, debet eſſe eadem iuris diſpoſitio, vt cumulatis iuribus docet, *Barboſa axiomatum Iuris vſufreq. axiom.* 197. *num.* 4. & 7. Et aliter ratiocinari eſt tale Brachium, publicè Conuentriæ cultui patens, damnabile facere, iuxta, illud commune axioma; *Turpis eſt pars, quæ ſuo non congruit vniuerſo ex cap. Tuas dudum, extra de ſponſa duorum, Cagnolio in l. in toto* 114. *ff. de regulis iuris*, ac *Belluga in ſuo ſpeculo Principum rubr.* 32. *in §. populus fol.* 156.

Nunc autem addo, quod ſicut ſi aliquis viſus ſit cum gladio ſanguinolento, & facie pallida exire de aliqua domo, in qua iacet homo mortuus, oritur ex hoc præſumptio ſufficiens ad illius condemnationem, vt *Angel. in l. fin. in princ. ff. quæ metus cauſa &c. Blanc. de indicijs num.* 292. relatus à *Nouell. in pract. Crimin. fol.* 61. *num.* 8. & prout docet *Iulius Clarus lib.* 5. *ſent. §. fin. quæſt.* 21. *fol.* 83. *col.* 1. & *quæſt.* 20. *verſ.* 1. vbi varia indicia diſtinguens, ait: *Grauiſſima verò ſufficiunt etiam ad condemnationem*, quibus conſonat *Abb. in cap. Tertio loco, extra de Probat. Ioann. Andr. in ſpec. de Prob. §. fin. verſ.* 13. & textus in *Cap. Excommunicamus, §.* 1. *extra de hæreticis*, ita quod hæc valeant etiam cum ignoratur nomen Occiſi, vel Occidentis, teſte *Baldo in l. quoties §. ſi quis nomen ff. de hæred. inſtit.* loquendo de primo caſu, & *Angel. in l.* 1. *§. interdum num.* 1. *ff. ſi pars hæred.* loquendo de vtroque, ac *Iulio Claro lib.* 5. *ſent. §. fin. quæſt.* 4. *verſ. Quando verò*, à medio ferè verſus finem: ita in noſtro caſu, cum ex illo Conuentriæ Brachio oriatur fortiſſima præſumptio, quod ipſum ſit auulſum à corpore adinuento in Scurolo, adiuncto maximè inter alia argumenta, & indicia iam adducta, & noua adhuc inferiùs adducenda, illo nomine, *Augustini*, quo tale Corpus nobis indiuiduatur, ingenerari debet animò Iudicis, ea vis præſumptionis, quæ eum inducat ad declarandum tale Brachium pertinere ad illud Corpus, & conſequentèr Corpus illud, eſſe Corpus magni noſtri Parentis, ad exemplum Sapientiſſimi Salomonis, qui ſolius præſumptionis violentæ face ſibi prætenſa ei Mulieri filium adiudicauit, quæ barbaram eiuſdem diuiſionem exhorruit, vt aduertit *Felynus in cap. Afferte verſ. Nota quarto num.* 6. *de Præſumptionibus*.

Dices allegata cum Auctoribus iura, vim facere, cum præſumptio vehemens, nulla alia in contrarium validiori diſſoluitur, vt eſt textus quotidiè allegatus in *Cap. Litteras, extra de Præſump. & ibi Panor.* ſicuti, & in *Cap. Accedens, extra de crimine* falſi, & facit *text. in l. huius ff. de in integrum reſt.* In caſu autem multa ſunt, quæ hiſtoriam illam de Brachio S. Auguſtini &c. claudicare conuincunt. Etenim *Auctor reſponſ. Apologetica ad P. P. Eremitanos*, capere non poteſt, quod fuerit traditum Brachium &c. cum ex viſitatione deprehendatur deficere tantum partem Brachij, & multo minus conſentit illis centum talentis argenti, & viij auri &c. cum non reperiabant

illorum

illorum receptor. Et demum quidam D. Meus in ſua alleg. in contrarium, vulgata *anno* 1697. *die* 27. *Aprilis* reprobat noſtrum arguendi modum, dicens, quod facilis eſt probationis modus media comparatione, ſeu confruntatione cum Oſſibus nuper repertis, quæ ideò non eſt permittenda.

Sed hæc facilè proſternuntur. Unde ad 1. reſpondeo benè ſaluari traditum fuiſſe Brachium Alchenoto, licet tradita ſit ei tantum pars Brachij, ratione eiuſdem virtutis miraculoſæ, quæ eſt in toto, ac in parte vt *Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum*, teſte *Spond. ad annum Chriſti* 55. *num.* 3. ſub his verbis: *Denique Gregorius Nazianzenus aduerſus Iulianum aſſerit SS. Martyrum Corpora idem poſſe, quod animas, ſiue manibus contrectentur, ſiue honorentur; Eorumdemque vel ſolas Sanguinis guttas, atque exigua paſſionis ſigna idem poſſe, quod Corpora.* Id ipſum repetit. *Spond. ad annum Chriſti* 664 *num.* 4. in fine ſic. *Venerari fideles piè, Sanctequè Corpus integrum, vbi ſenius tantum puluiſculus habeatur alicuius Sancti, quod eiuſdem ſit Virtutis, cuius, & integrum Corpus, docet Gregorius Nazianzenus in Iulianum.* Hac ratione *Baſilius Orat. in Quadraginta Martyres*, ait: quadraginta illos Martyres dici eſſe conditos in varijs Ciuitatibus, quod ipſarum quælibet, partem aliquam Reliquiarum poſſideret. Sic Gulielmus Dux Aquitaniæ, vt narrat idem *Spond. ad annum Chriſti* 1025. *num.* 2. cum ab Italia reuerteretur mæſtus ad ſuos, eò quod noluerint Longobardi, filium ſuum, quem ducebat, Regem Italiæ creare, eique imperium conciliare, fuit exhilaratus inuentione Capitis S. Ioannis Baptiſtæ, *facta in ipſius Baſilica in tugurio ſaxeo Cœnobij Angeliacenſis*, cum tamen reuera fuerit tantum inuenta pars Capitis. Hinc addit poſt eumdem num. hæc: *Denique quod diuerſæ Eccleſiæ gloriantur de poſſeſſione eius Sanctiſſimi Præcurſoris Capitis, ita rem definiuit Robertus le Viſeur Theologus Pariſinus, & Canonicus Ambianenſis, qui peculiarem ea de re tractatum habuit, vt Angeliaci fuerit pars Cranij, miſſa à Conſtantino Copronimo Imperatore ad Pipinum Regem Francorum Chriſtianiſſimum, Romæ in Eccleſia S. Silueſtri, pars altera Cranij, Auguſtæ Prætoriæ in finibus ſubalpinorum maxilla altera, altera Lugduni, Ambiani verò facies, excepto mento, à labro ſuperiori vſque ad partem frontis.* Denique in noſtri tutamen aſſerti, concludimus illud obiectum nutritum olim in mente hæreticorum, teſte *Suario in Comment. ad 3. p. D. Thomæ q. 25. diſp. 55. ſect. 1. verſ. Secundò hoc maximè* ſub his terminis ab *Anſoſſ. de Sacrarum Reliquiarum cultu &c.* §. 15. *num.* 30. citatis: *Hinc omnia Plaſphemantes Nouatores heretici, quæcumque ignorabant, nacti ſunt occaſionem arguendi Chatolicos, in nos inuehentes, quod tanquam quibuſdam illuſi præſtigijs, frequentèr vnius Martyris Corpus diuerſis in locis ſitum eſſe crederemus, ignorantes, vel neſcire ſimulantes, nos non dicere in diuerſis Sepulcris, vnum idemque integrum eſſe Corpus, ſed in ſingulis Sepulcris vnius Martyris, conſeruari Reliquias, ac eiſdem proinde eumdem honorem impendi, ac ſi integrum eſſet Corpus.* Concedat ergo Oppoſitor idem Brachium eſſe Conuentriæ, ac Ticini in Scurolo S. Petri, quamuis nullibi integrum.

Ad ſollicitudinem verò, quam habet Oppoſitor inueniendi receptorem illorum talentorum, &c. reſpondemus de receptore in indiuiduo non curandum, cum conſtet de illorum ærogatione. Sic conſtat ſublatas de Sepulcro Dauidis ingentes pecunias, cum eius Corpore tumulatas, non tamen de fure ipſo, teſte *Baron. tom. 1. anno D.* 34. *num.* 245. ſub his verbis: *Herodes multum pecuniarum domi, foriſquè profundens audito quod Hircanus, qui ante eum regnauerat, recluſo Dauidis Sepulcro, tria millia talentorum auri extuliſſet, ſupereſſeque multo plura, quæ poſſent quatumuis magnis ſumptibus ſufficere, multo tempore animum habuit ipſum aggredi. Tunc verò noctu apertum Sepulcrum ingreditur, cum prius accuratè cauiſſet, ne hoc ſciret populus, aſſumptis tantum amicorum fidiſſimis. Depoſitas tamen pecunias ſicut Hircanus, non inuenit &c.* Certè non inuenit, quia ſublatæ fuerant, licet neſciretur à quo, & ſic Alchenotus illa auri, argentique talenta erogauit indubiè, licet cui, vel quibus nominatim, neſcire nos fateamur.

Ad id verò, quod ſec. loco obijcitur reſpondemus illum arguendi modum ex compa-

ratione

ratione vnius ad aliud eſſe legitimè concludentem. Sic cum ex ſcripturarum comparatione apparet omnimoda ſimilitudo, talis comparatio plenè probat perſonam ſcribentis, vt per *l. comparationes, Cod. de fide Inſtrum.* ac cum *Mareſc. var. reſol. l.* 1. *cap.* 180. *num.* 3. docet *Iordanus Pax tom.* 3. *lib.* 14. *tit.* 20, *de fide Inſtrum. num.* 420. Comparatio etiam, ac confruntatio partium ad ſuum totum, eſt euidenter probans, vel ex *Ariſt. lib.* 1. *de naturali auditu*, quatenus ibi vult, quod pars ſequatur totum, quoad magnitudinem, & paruitatem ſub his terminis: *Caro, & os, & reliquæ partes ſunt animalis &c. Impoſſibile ergo carnem, aut os aliquid aliud quantumcumque eſſe ſec. magnitudinem*. Nec refert, quod hic modus probationis ſit facilis, vt reprobetur; etenim probatio, quæ fit per Inſtrumenta, vel teſtes, vel Confeſſionem partis, a nullo iuriſperito contemnitur, quamuis ſit facilis teſte *Panorm. in cap. ſæpè contingit, num.* 8. *de appel.* Interea gaudemus, etſi verſemur in antiquiſſimis, facilem nobis, vel ex ipſa Opponentium Confeſſione, viam ſterni ad veritatis indaginem,& fatemur cum Arriaga in præfat. curſus Philoſophici *miranda illorum ingenia, qui res facillimas, non niſi per difficillimas ſciunt explicare*.

Tranſeamus modo á Brachio S. Patris ad penetrandas calamo illius venas, ſeù ad introſpicienda illo duo vaſa vitrea, eiuſdem Oſſibus intumulata, ac Sanguine tincta. Et quidem neceſſe eſt in hac re, concordi calamo aſſerere, quod vita functo S. Parente, Diſcipuli eius, ac filij, Corpus eiuſdem aperuerint, ac Balſamo condierint iuxta morem antiquorum Chriſtianorum, vt teſtatur *Baronius tom.* 2. *anno* 226. *num.* 8. ſic: *Rurſum verò nequaquam more Gentilium, Chriſtiani cremabant Corpora defunctorum, ſed vnguentis delibuta condiebant, ſicque pollincta in eadem loca cum cæteris deferebant.* Sic etiam diſcernebantur primi Chriſtiani a Judeis, qui per quadraginta dies, iteratis vnctionibus Corpora defunctorum condire conſueuerant, *qua arte ita ſiccabant Cadauera, vt quaſi anea redderentur, quæ, & lingua ſua, Gabaras appellabant*, vt ex *Auguſtino ſerm.* 120. *de diuerſis cap.* 22. notat. *Spond. ad annum Chriſti* 34. *num.* 47. Quod autem ſit neceſſe illud aſſerere, manifeſtè colligitur ex *Leone Oſtienſi lib.* 3. *cap.* 28. qui, vt refert *Baronius tom.* 11. *ad annum D.* 1023. *num.* 1. aſſerit quod Benedictus VII. eodem anno de Sacrario Lateranenſis Palatij ad Caſſinenſem direxit Eccleſiam multas Reliquias, inter quas erat *Spongia cum Sanguine S. Prothomartyris Stephani, Laurentij, Stephani Papæ, Pelagij Papæ, Martini Epiſcopi, Prudentij, Iuliani, AVGVSTINI &c.*

Hæc cum ita ſint, valdè veriſimile eſt, quod illa Vaſa vitrea imbuta Sanguine D. Patris, collecti a Diſcipulis eiuſdem Hipponenſibus, dum Sacrum illius Corpus, Balſamo delinirent, fuerint, relictis maculis exhauſta Ticini ab eodem Benedicto anno 1023. quo Monachi Benedictini, Templum S. Petri in Cœlo Aureo poſſidebant, vt retineret loco illius ſanguinis, quem de Patriarchio Lateranenſi ad Monaſterium Caſſinenſe tranſmiſit. Ratio autem præſumptionis eſt, quia Henricus Imperator, & Robertus Francorum Rex, quoſdam de varijs etiam Eccleſiæ rebus inire tractatus, pro quorum confirmatione ipſum Benedictum accire Papiæ decreuerant, Teſte *Spond. D. anno* 1023. *num.* 1. ſub his verbis: *Anno Chriſti milleſimo vigeſimo tertio, inditione ſexta, rediens in Germaniam ex Italia Henricus, Imperator, cum Roberto Francorum Rege Chriſtianiſſimo habuit congreſſum, cum ambo ſuper Carum fluuium apud Euaſium conuenerant de ſtatu Eccleſiæ, Regni, & Imperij tractaturi, condicto, vt ſuper ijs confirmandis etiam Papam Romanum, ſimul ambo Papiæ opportunè conuenirent*. Ita etiam *Sigibertus Glaber. lib.* 3. *cap.* 2. ex quo illa Spond. ſe accepiſſe fatetur. Si verò his acquieſcere noluerint Oppoſitores, aſſerentes non eſſe veriſimile, quod Benedictus VII. tam citò Ticinum ſe contulerit cum ſequenti *anno* 1024. deceſſerit 3. *Calen. Martij*, vt *Spond. ad eumdem annum num.* 1. nullum nobis hoc faceſſit negotium, cum adhuc ſit veriſimile, quod ille Sanguis progreſſu temporis, euaporauerit, vel ab alia fuerit innominata manù, ac alio nobis ignoto tempore ſiccatus, cum non detur medium. Sic, vt refert *Onuphrius Panuinius de ſeptem Vrbis Eccleſijs, ac de Baſilica Lateranenſi*, Monachi Caſſinenſes, qui ex conceſſione Joannis *iuxta Lateranenſem Baſilicam, Monaſterium conſtruxerunt ſub titulo Sanctorum Ioannis Baptiſtæ &c. vbi per centum, & triginta annos*

perſtiterunt, & laicorum loco in Lateranenſi Baſilica, ſacras horas, & pſalmos canere cæperunt, Canonicis, ſcilicet Regularibus, *tantum Sacra in ea facientibus, & Sacramenta omnia adminiſtrantibus*, tandem loco exceſſerunt, licet neſciatur quando, vt teſtatur inferiùs Panuinius ſic. *Quo vero tempore Monachi eo loco ceſſerint, & Canonici multiplicati, Monachorum munia in pſalendo, & horas canonicas cantando, ſupplere cæperint, incompertum.* Ergò a pari cum certum ſit exhauſta illa vaſa vitrea, non curamus de quando, & conſequenter tempus euacuationis, incertum, non reddit inuerisſimilem noſtram de infuſo ibi S. Patris Sanguine, aſſertionem.

Non ijs vtitur D. meus ad noſtram præſumptionem infirmandam, ſed in ſua alleg. in contrarium verſus finem, obijcit, quod ſi illæ ampullulæ ambæ erant Sanguine plenæ; expedientius erat, ac veriſimilibus non ambas euacuari a præfato Pontifice, ſed vel ambas tolli, vel vnam tantum.

Sed contra eſt; quia non aſſerimus fuiſſe illa vaſa plena Sanguine S. Patris, nec alius, qui tueatur partem noſtram, ſed tantum illo imbuta, licet poſſemus etiam affirmare plenitudinem, ſi relictæ forent in omni parte, Sanguinis maculæ, quæ profectò ſunt indubitatum illius indicium. Deindè ſiuè fuerint plena, ſiuè non, conſtat ex relictis tantum maculis fuiſſe exhauſta, ergo vel via euaporationis, & hoc noſtrum non lædit intentum, vel ab aliquo. Ergo vel a Benedicto VII. vel ab alio, & ſic noſtra triumpharet aſſertio, & ſic conuertimus argumentum in ſuum Auctorem: Si ambæ ampullæ erant vtcumque imbutæ ſanguine, ad quid ambas euacuare? Ad quid non ambas tollere, vel vnam tantum relicta altera? Certè quidquid reſpondeat nobis nobilis Oppoſitor, faciet pro nobis.

Non obſtat, ſi aliò quis ſe conuertat, dicens non eſſe veriſimile, quod illa vaſa contineant Sanguinem S. Patris, cum ſolum mos ſit Martyrum, Corporibus, ampullas proprij Sanguinis intumulari. Hæc enim facili ratiocinio diluuntur. Etenim non fuit contra ſtatum Martyrum, quod olim ſepelirentur cum ijs, quæ non ſpectant ad integritatem ſuorum Corporum, ſed ad naturam adiacentium. Sic *Spond. ad annum D. 283. num. 4.* teſtatur Eutichianum Papam in Martyrologio Romano conſtituiſſe, *vt quicumque fidelium Martyrem ſepelliret, ſine Dalmatica, aut colobio purpurato nullatenùs faceret.* Immò ſepeliri conſueuerunt Sancti, vel cum ijs, quæ nullam habent adiacentiæ rationem. *Sic Niceph. lib. 34. Eccl. hiſt. cap. 8.* ait in Inuentione Corporis S. Zachariæ, tempore Theodoſij Imperatoris, & Sororis eius Pulcheriæ, apud illius loculos, ſcilicet Arcas duas, exteriorem ligneam, & interiorem plumbeam, repertum *Vas quoddam aqua repletum, ad cuius partem vtramque, mediocres duo innoxij, & placidi Serpentes circumuoluuntur*, ac *eodem lib. cap. 10.* vbi de Inuentione Reliquiarum ſanctorum Quadraginta Martyrum, qui apud Sebeſtem in lacu, martyrio ſunt perfuncti; poſtquàm enarrauit repertum eorum Sepulcrum, ferro validiſſimo obfirmatum; ingentem vnguenti copiam, neſciò quò miſterio, cum ijſdem intumulatam ſuggerit ſub his verbis: *Hæc vbi renunciata ſunt cum feſtinatione omni, & Pulcheria, & Vrbis ipſius*, ſcilicet Conſtantinopolitanæ *Epiſcopus Proclus, ad martyrium accurrit; Et poſtquam ferrea illa vincula arte quadam ſoluta, & operculum facilè dimotum eſt, Vnguenti multum ſub eo fuit, & in Vnguento ipſo Vaſcula anſis carentia duo, argento elaborata inuenta, in quibus Religioſa Sacra Reliquia poſita erant.* Ex his autem ſic arguo: Non fuit inconueniens olim ſepelliri Martyres cum Dalmatica, cum vaſe aquæ pleno, cum vnguento &c. Ergo non erit inconueniens ſepelliri *CONFESSORES*; vt Auguſtinum cum Ampullis proprio Sanguine madidis. Immò non fuit incongruum, Spongiam Sancti Auguſtini Sanguine, imbutam extitiſſe, olim procul ab illius Corpore in Patriarchio Lateranenſi primum, deindè in Templo Caſſinenſi, vt vidimus; Ergò multò minùs erit incongruum illius Sanguinem propè eiuſdem Corpus purpuraſcere.

Immò cum iuxta Corpus inuentum in Scurolo, repertæ ſint partes aliquæ plumbeæ pre vetuſtate exinanitæ, ac ſeiunctæ, ſimul cum fruſtulo aſſis, latitudinis vnius manus; ac craſſitudinis vnius digiti, nimiùm eſt veriſimile, quod illæ partes plumbeæ fuerint partes illius Capſæ plumbeæ, in qua D. Fulgentius Sacrum Corpus ſtrauit, vt in Sardi-

niam

niam deportaret, ſicuti, & quod illud fruſtulum aſſis ſit pars illius Trabis, quem S. P. in ſuo ex Italia in Aphricam reditù, ſolis precibus, pro Calarenſi, quæ tunc edificabatur Eccleſia, protraxit, vt Scriptores de rebus ſardis. Hæç autem omnia, vt potè veriſimilia, ſunt à Iure prçſumpta, cum arguens à veriſimili, dicatur arguere à ratione naturali, & allegare textum legis *Maſcar. Concl.* 1410. *num.* 2. *&* 6. *Menoch. conſ.* 114. *num.* 13. Ex quo autem ſunt à Iure præſumpta, ſatis patent, cum præſumptio Iuris pro liquidiſſima probatione habeatur *l. licet Imperator ff. de legibus*, *l. ab ea parte ff. de prob. ac ex Bart. in l. in illa ff. de verb. oblig. Conar. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 1. *& Menoch. de preſumpt. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. niſi efficacioribus probationibus confundatur, vt Alex. III. in cap. *Quia veriſimile, & ibi Barboſa verſ. Nec ſuper hoc probationes recipiat, num.* 4. *eodem tit.*

Hæc autem probatio validior in contrarium à D. meo non porrigitur. Quod enim ait, partes illas plumbeas in Capſa argentea repertas; *non ideò poſſe dici, quod ſint Reliquiæ capſulæ plumbeæ, in qua fuit reconditum Corpus S. Doctoris à S. Fulgentio, transferendum à Ciuitate Hipponenſi in Sardiniam, quando non demonſtratur, quod verè fuerit in Arca plumbea primariò depoſitum* iuxta illud *Rom. conſ.* 91. *num.* 8. *Volens probare qualitatem facti, debet priùs factum probare*, non faceſſit negotium. Probamus enim factum Fulgentij paritèr ex probabilibus præſumptionibus, nempè ex eo, quod Luitprandus Corpus S. Patris in Capſa etiam plumbea immediatè depoſuerit. Ex præſenti enim præſumitur in præteritum *l.* 3. *Cod. de Prob.* quam allegat. *Iordanus Pax tom.* 3. *lib.* 14. *tit.* 21. *de Preſumpt. num.* 240. Et etiam quia veriſimile eſt partes illas plumbeas aſſeruatas, vt Reliquias contactù alicuius Corporis Sancti conſecratas: Legimus enim ex *Spond. anno Chriſti* 591. *num.* 3. claues de S. Petri Sepulcro ſumptas crebra operari miracula, ac vel *ipſum puluerem, ac ſitum, quo Sanctorum Sepulcra aliquando obducerentur, vel etiam circumaſpergerentur, & quod mirabilius eſt Oleum, quo ex more in Eccleſia antiquitus obſeruato, Lampades circa Sepulcram Martyrum ſolent incendi, eaſdem virtutes operari conſueuiſſe, quæ Corpora* apud eumdem *Spond. anno* 55. *num.* 3. vbi plura SS. PP. cumulat teſtimonia; Quod autem ſit veriſimile dictas partes plumbeas, titulo Reliquiæ ibi aſſeruatas, ex eo conuincitur, quod alitèr finis huius facti inueniri non poſſet, & actus aliunde præſumitur factus omni meliori modo, & non temerè, vt eſt *arg. l. Mag. ff. de ſolutionibus*, vt docet *Ior. Pax.* locis cit. *num.* 86. cum potiſſimùm non ſit periculum Corpus adinuentum in Templo ſæpedicto eſſe alicuius ex Gentilibus, qui cum rebus ſuperſtitioſis humari conſueuerant; Cum autem non leuis ſit noſtra præſumptio illas partes plumbeas &c. alicuius Corporis S. contactu in Reliquias verſas, ac ibi aſſeruatas eſſe, quid aliud ſupereſt, niſi vt concludamus id factum, non niſi ex contingentia Corporis S. Patris, & ſic ipſum primitùs in Capſa plumbea à S. Fulgentio fuiſſe depoſitum?

Excipit etiam contra hæc D. Meus, inquiens, *quod Capſa plumbea ſunt etiam hodiè in vſu pro repoſitione Cadauerum, apud Magnates, & præcipuè aliò transferendorum. Quarè ex ipſis Reliquijs plumbeis non poteſt inferri ad Corporis Sanctitatem.*

Sed contra eſt; Nam quamuis verùm ſit, quod præſumptio ſurgens ex ſigno perimitur, ſi probatur illud ſignum æquiuocum, & ad plura diuerſæ rationis ſe habens, ſeù quod ſignum æquiuocum, ad Sanctitatem, vel non Sanctitatem indifferentèr ſe habens, nec probet, nec præſumptionem faciat pro altero tantum ex *Cap. in præſentia* extra de prob. ſicut è contra ſignum ad certum quid reſtrictum probat, vel ſaltim præſumptionem magnam facit de ſignato, vt eſt textus in *Cap. Dilecto, extra de præbendis, & Panorm. in Cap. illud in* 2. *Col. de Præſumptionibus*, hæc tamen locum non habent, quando ſignum non eſt nudum, ſed cõnueſtitum aliquibus circumſtantijs, ratione quarum naturam induit vniuoci ſigni, ac limitati tantum ad vnum. Huiuſmodi autem ſunt illæ Reliquiæ plumbeæ iunctæ cum tot adminiculis, & rationibus ex ſola Auguſtini parte pendentibus, vt vidimus. Sic quamuis marmorea Vrna ſit communis Sanctis, & non Sanctis, tamen coniuncta cum modo eleuationis, ſeù ſuprà Altare eleuata, vel ſub eo depoſita limitatur ad ſignificandum ſolum, latens

 intùs

intùs Corpus alicuius Sancti. Hac proindè de cauſa vetitum eſt Sepulcra hominum ſupra Altaria erigi, vt admonet *Archid. per textum in Cap. Non oportet diſt. 1. de Conſecrat.* quem refert, & ſequitur *Fuſcus lib. 1. cap. 21. num. 15.* Et idem eſt de Corporibus ſub Altari ſepultis, cum *Sacra Congreg. Archiep. Tranenſ. 8. Nouembris* 1599. reſponderit, vt refert *Piaſc. in praxi noua Epiſc. cap. 1. num. 7. in fine*, non eſſe conſecranda Altaria, ſub quibus ſunt ſepulta Corpora mortuorum. Et ſic &c.

Vt autem intimiùs ad rem noſtram accedamus, Myrra, Aloes, claui enſes, Lapides Sindones &c. ſunt indifferentia ad ſignificandum ſuſpendio mulctatos, vel non, Sanctos, vel non ſanctos, Chriſtum, vel aliam perſonam. Et tamen illa omnia ſepulta cum Corporibus, erant certum, ac indubitatum ſignum hominum in Cruce mortuorum, & aliquando aliqua ex eis ſignificarunt Chriſtum pro ſalute Mundi in patibulo demortuum, teſte *Spond. ad annum D. 34. num. 41.* vbi ait: *Ioſephus accepto Corpore Ieſù, ſepulturam eius cum Nicomede diligentèr curauit more Iudeorum, nempè miſturam Myrra, & Aloes, ac ſindone inuolutum poſuit in Monumento ſuo nouo. Siquidem Damnatorum Cadauera, vt conſtat ex Compendio Thalmud. quod dicitur Alphesi, & Rabbinis, Iacob Turim, & Mosè Ægiptio, vetita erant inferri in Sepulcra cæteris communia, ſed in priuata ſeorſim ab alijs erant ponenda, pariterque ſeparatim ſepellienda inſtrumenta illa, quibus mors illata fuiſſet, nempè Cruces, Claui, Enſes; Lapides, pro mortis genere, quo quis affectus eſſet: Eaque ratione vetitum pariter fuiſſe tradunt, aliquem ſuffigi Arbori, ſed ex Ligno exciſo iuberi componi Crucem.* Et infra num. 42. reſtringens ſe ad Inſtrumenta Paſſionis Chriſti, ſic incipit: *Cæterum remanſerunt omnia illa Paſſionis Chriſti, atque Sepulcri Inſtrumenta*, ſcilicet Spinæ, Arundo, Spongia, & Sudarium, de quo ſignantèr ait; *Permanſit paritèr hactenus integra Sanctiſſima Sindon illa, quæ Corporis Domini delibuta vnguento, in Sepulcro poſita fuit, veluti operimentum, & ſtratum, quæ, & in ſe Immaginem, in Sepulcro Domini iacentis expreſſit, aſſeruaturque ſummo honore in Eccleſia Taurinenſi.* Vt ergo illa omnia conueſtita circumſtantijs varijs, V. G. loci, ſcilicet Sepulcri Noui, deſinunt eſſe ſignum æquiuocum, & reſtringuntur ad peculiare ſignatum, cur, & laminæ illæ plumbeæ tot circumſtantijs, Auguſtini Corpori ſolum conuenientibus aff ctæ, non arctabuntur ad illius ſolius ſignificationem? Cur illud fuſtulum aſſis eandem ratione, nobis non indicat illam trabem, in Calaritana Vrbe, Auguſtini miraculo extenſam, de qua fuerit excerpta?

Neque hæ præſumptiones piæ, poſſunt aliqua ex parte confundi, cum certum ſit in iure, quod ex loco ſumitur coniectura, & ex vario varia *l. vlt. Cod. ſi Mancip. ita fuerit alien Cap: Quiſquis 17. quaſt. 4. cap. Litteris de Præſump. cap. Saluator. 1. q. 3. cap. illud, diſt. 40. cap. Tolerabilis 33. q. 5. & ſpecul. tit. de Præſumpt. §. 1. in princ. verſ. ex loco.* Hinc Cerei in Delubris, vel Meſquitis ſunt clariſſima inſanæ ſuperſtitionis inſignia, in Eccleſijs verò Chatolicorum, Sanctitatis. Vnde *Hieron. lib. in Vigilantium*, ait; *Illud fiebat Idolis, & idcircò deteſtandum eſt; Hoc fit Martyribus, & ideò recipiendum eſt.* Igitur cum illæ Reliquiæ plumbeæ cum fruſtulo aſſis repertæ fuerint in illa capſa, quę ex rationibus adductis, & adducendis, nonniſi redolet Auguſtini Corpus, nonniſi illius, & indicant Sanctitatem. Hoc enim eſt veriſimilius, & ſic indubiè tenendum, cum verſemur potiſſimùm inter tenebras vetuſtatis, & in obſcuris inſpiciendum ſit, quod eſt veriſimilius ex *Cap. inſpicimus 44. de regulis Iuris in ſexto*, & ex *Cagnolio in l. in obſcuris 115. ff. de regulis Iuris.*

Verum contrà illud fruſtulum aſſis ſic armatur D. Meus: *fruſtulum illud aſſis fuit piè conſideratum pro parte illius trabis, miraculosè à Diuina Omnipotentia aucti, intercedente B. Auguſtino, non verò quod ſit tale prout creditur. Si enim tale fuiſſet, publicè expoſitioni eſſet potius conſecratum, quam in terra conditum, & prout factum fuiſſet, ſi tale eſſet. De hoc enim non erat ſic euidens ſubtractionis timor, prout de Corpore ipſo S. Doctoris.* Sed hæc ſunt facilis nimium ſolutionis. Nam etſi non eſſet ſic vrgens, ac euidens timor de ſubtractione illius ligniuli, ſicuti, Corporis, tamen ad excitandam miraculi memoriam, ipſum intumulari Corpori congruum fuit, vtpotè ingens

illius

illius Sanctitatis inſigne, ſicuti tumulata ſunt ſimul cum Corpore Saluatoris, præfata Paſſionis eius Inſtrumenta, licet ſolius Corporis furtum Iudæa timeret.

§. I V.

Identitas Reliquiarum &c. ex coniecturis Lampadis, Fontis, & Antiphonæ, euidentèr oſtenditur.

AD melius elucidandam Reliquiarum &c. identitatem ſuam veritas Lampadem, non tàm inter Scuroli tenebras, quam ipſius antiquitatis accendit. Etenim certùm eſt Cereos, ac Lampades, non tam lætitiæ cauſa, vt *Perſius Satyra* 5. ſed Religionis ardere, vt teſtatur *Hieron. aduerſus Vigilantium, & Epiſt.* 58. *ad Riparium, D. P. ſerm.* 215. *de tempore, Ennodius de miraculis S. Stephani lib.* 1. *cap.* 2. & 13. *ac lib.* 2. *cap.* 2. *Epiphan. in Epiſt. ad Ioannem Hieroſolymorum Epiſcopum, Athanaſ. in Epiſt. ad Ortodoxos*, deplorans Cereos olim ardentes in obſequium Dei, ab Arianis ad Idola conuerſos, ac *Gregorius lib.* 3. *Dialog. cap.* 24. quatenùs ibi facit mentionem Lampadis, quæ ardebat etiam noctù dormientibus omnibus in Templo S. Petri. Id ipſum patet ex *Authentico libello de munificentia Conſtantini Magni ex tom.* 1. *Concil. in Silueſtr.* vbi Lampadibus, non Oleum tantùm commune, ſed interdum Opobalſamum, aut nardinum Oleum, in impenſius Dei, vel Sanctorum Obſequium infundi conſueuerat. Immò erigebant illæ Lampades multa Capita illuminata, vt *Auguſtinus in Epiſt.* 165. & *lib.* 1. *contrà Creſconium cap.* 26. ad imitationem, vt reor, Candelabri aurei *exodi* 25. ſeptem infuſoria porrigentis.

Hæc cum ita ſint, quis ambigat Lampadem illam, à longo ſæculorum curriculo, accenſam in Scurolo, nonniſi in inuenti Corporis cultum, ac Venerationem ardere, cum vt ſuperius probatum eſt, nullum ibi ſit Corpus tumulatum, in cuius reuerentiam pendeat? Reuerentia autem ad Corpus infert illius exiſtentiam, ſicuti collatio annuli infert inueſtituram, vt *Innocencius III. in cap. ex ore ſedentis* 3. *de his, quę fiunt à mai. parte cap.* & tributi penſum arguit ſubiectionem, vt *Panor. in cap.* 1. *num.* 1. & 3. *de Cenſibus*, cum non detur, niſi in recognitionem dominij, vt idem *Panor. in cap. Tua nobis, num.* 2. *de decimis*.

Neque valet, ſi dicas illam Lampadem, nonniſi in cultum Imaginis S. Auguſtini &c. accenſam, non verò ex opinione, vel ſcientia, quod inibi reperiatur S. Patris Corpus.

Contrà enim eſt; Nam licet Veneratio dictæ Imaginis poſſit eſſe ſufficiens motiuum accendendi Lampadem illam, cum ferè omnia Concilia, Imagines Sanctorum nobis Venerabiles definierint, vt patet de *Synodo. Romana ſub Gregorio III.* celebrata *anno* 733. iuxta *Sigibertum in Chronico, vel* 752. *iuxta Adonem*, ex alia relata, ab *Adriano in lib. de Imaginibus ad Carolum*, ac celebrata *anno* 758. teſte eodem *Sigiberto* ſub Stefano III. ex *ſeptima Synodo Æcumenica, Nicea* in Bithinia celebrata, *act.* 3. 4. & potiſſimum 6. in qua definitur expreſſè, quod Sanctorum Imaginibus, *& reliquis Sacratis monumentis incenſorum, & luminum oblatio ad horum honorem efficiendum exhibeatur*, cum quibus vadit *Trident. Concilium ſeſſ.* 25. *de Vener. Sanctorum, & Imaginum*, tamen non illud fuit motiuum, ſed veneratio Corporis S. Patris. Nam ex præſcripto Apoſtolico coram Sacris Auguſtini Oſſibus ardet, vt ex *Archiuio Conuentus noſtri Papiæ*, & ex *libro, qui inſcribitur: Iura Conuentus S. Auguſtini Papiæ fol.* 83. à tergò, vbi inter conditiones antiquas, initas a Noſtris cum Patribus Canonicis, ſancitum eſt, quod noſtri teneantur ad Manutentionem Olei pro Lampade ante Corpus D. Auguſtini, in *CONFESSORIO*. Igitur Lampadis illius cultus eſt, ex intentione S. Sedis, Patrum Canonicorum, ac noſtræ Familiæ, Corpori D. Patris, quatenùs in Scurolo antea deliteſcentis, oblatus. Nec hanc illationem, quis inconſultam putet, ac nullius euidentiæ. Nam explorati Iuris eſt, quod ex ſola Inſtrumentorum inſpectione, elicitur euidens probatio ex *Panor. in Cap., Cum contingat num.* 3. *de Reſ-*

criptis, *& textu in Cap. Licet cauſam de Probationibus in Cap. Cum dilecti de donationibus in Cap. Cum olim, de Cenſibus*, & *in l. fin. Cod. de hared. act.*, quibus merè fauet *Bart. in l. fin. col. 5. Cod. de Edicto D. Adriani tollen.*, quatenus ibi vult, quod ex inſpectione Teſtamenti, notorium reſultet.

Neque hic poteſt præſumi, immò verius dixerim, fingi aliqua ſimulatio inclytæ Canonicorum familiæ, ac noſtræ, communis, quæ tales conuentiones inficiat. Nam illa cum ſit quid facti, & delictum, fruſtra præſumitur, ſi non probatur, vt cumulatis iuribus *Farinac. de Simular. q. 162. num. 94. Rota deciſ. 69. num. 1. p. 1. diuerſ. ac deciſ. 307. num. 11. p. 1. nouiſſ.* ac aliundè omnem illius ſuſpicionem vetat S. Sedes, ex cuius præſcripto ardet eadem Lampas in Scurolo. Immò etiam hoc circumſcripto, nullus ſiniſtram illam præſumptionem locus capit, cum omne bonum, vt ſumus in casù, præſumatur recta intentione factum vt *Iordanus Pax tom. 3. lib. 14. tit. 21. de Præſumpt. per. Cap. 1. eodem tit. ac cap. Si omnia 5. q. 1.* Eadem ratione, quotidiè, alternatis menſibus, Canonici Regulares, ac noſtri expletis horis Canonicis, non aliter deſcendunt in Scurolum, cantantes ibi Antiphonam prò implorando S. Patris auxilio, niſi quia firmitèr credunt, vel potius ſciunt, Sacratiſſimas illius exuuias ibi latere.

Hæc cum ita ſint, præſumi debet, quod ad hæc omnia, gemina Auguſtini Soboles, magna cum maturitate proceſſerit iuxta præſcriptum *Concilij Chartaginenſis III. Prouincialis*, confirmati in Sexta Synodo Generali in Trullo celebrata, quæ teſte *Carranza in ſumma Conciliorum fol. mihi 69.* ſtatuit *Can. 23.* quod *quaſcumque ſibi preces aliquis deſcribit, non eis vtatur, niſi cum inſtructioribus fratribus contulerit*, quæ cohærent *Concilio Milenitano* celebrato ſub Innocentio I. a quo confirmata ſunt in eo definita, quatenus teſte eodem *Carranza ibi fol. 88. Can. 12.* vetuit in materia precum &c. *nè alia omninò dicantur in Eccleſia, niſi quæ à prudentioribus tractatæ, vel comprobata in Synodo fuerunt, nè fortè aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus ſtudium ſit compoſitum*. Licet autem illa Antiphona ſit iam de approbatis, & in tota Religione recitetur, tamen ſi dirigatur ad Corpus D. Patris, vt falsò creditum exiſtens alicubi, vel ad aliud Corpus falsò creditum illius, res hæc eſſet damnabili errore plena, clamante dict. *Concilio Chartaginenſi eodem Can. 23.* vbi preces licet approbatæ, vetantur dirigi ad vnam Perſonam Diuinam pro alia, sic; *Vt nemo in precibus, vel Patrem pro Filio, vel filium prò Patre nominet; Et cum ad Altare aſſiſtitur, ſemper ad Patrem dirigatur Oratio.* Ratio autem èſt quia nonniſi ſuperſtitionem redolet, venerari alicubi Corpus alicuius Sancti, vbi creditur eſſe, & non eſt, vt cauetur in *Concilio Chartaginenſi V. Can. 14.* quod teſte *Bellarm. tom. 5. cap. 3. de Reliquijs Sanctorum lib. 2. Verſ. Ex Aphrica,* iubet, vt *nulla Altaria, vel memoriæ Martyrum deducentur, niſi vbi ſint aliqua Martyrum Reliquiæ; Et aliter dedicata euertantur. Vel populus, admoneatur, ne ea loca frequentet, ne ſuperſtitione aliqua teneatur, ſi colat videlicèt quaſi Martyris Sepulcrum, vbi re vera non eſt Corpus Martyris.* Si ergo eſt fætida ſuperſtitio colere prò Martyris Corpore id, quod non eſt Martyris Corpus, fuerunt etiam dæmoniaca ſuperſtitionis lue ſordidi ambo Auguſtini filij, quod nephas eſt, vel ſomniare, qui ab aliquibus ſæculis, vſque ad hæc tempora, vectigali Lampadis, ac Antiphonæ penſo, coluerunt in Scurolo Auguſtini Corpus, vt ibi exiſtens, ſi ibi non eſt.

Immò in eumdem ſuperſtitionis errorem adigerentur, vel Religioſiſſimi Papiæ Ciues, qui, vt ſcribit *Aulicus Papienſis in lib. de Laudibus Ciuitatis Ticinenſis*, relatus ab *Anſoſſio de Sacr. Reliquiarum cultu &c. §. 5. num. 18.* ſtatuerunt quod Corpus D. Patris ibi, *debeat ab omnibus ſemel in hebdomada viſitari*; Et ſic vbi ex vna parte, tantum nunc laboris impenditur in diſcuſſione cauſæ, ne poſtea concepta præcipiti calamo ſententia, fideles deprehendantur cultores vanitatis, non veritatis, magis, ac magis inualeſceret in animis omnium idololatria, quam perhorreſcimus, ſi non eſſet verum Auguſtini Corpus, illud in Scurolo, quod pro Auguſtini Corpore inuincibili, ac diuturna animi hallucinatione venerantur; Et conſequentèr Eccleſia pro Religio-

ſiſſimis

ſiſſimis Canonicis, ac noſtris Patribus, ac Papiæ Ciuibus, tot fruſtrà edidiſſet in Concilijs ſanctiones, vt adulterini Sancti, aut commentitij, vel incerti, a veris, & probatis diſtinguerentur, vt in *Concilio Chartaginenſi* 1. *cap.* 2. *Concilio Laodicenſi cap.* 9. *&* *cap.* 34. *Cartaginenſi* 5. *cap.* 14. *relato à Gratiano in cap. Placuit diſt.* 1. *de Conſecrat. Concilio Epamenſi cap.* 25. *Conſil. Bracharenſi* 3. *cap.* 5. *alias* 6. *Maguntino cap.* 51. *Lateranenſi ſub Innocentio III. cap.* 62. *relato in cap.* 2. *de Reliquijs, & vener. Sanct. & demum Tridem. ſeſſ.* 25. *de Inuocat. Vener. & Reliquijs Sanct.* cum tamen obſeruet *Spond. ad annum D.* 55. *num.* 3. *verſ. caeterum magnam* in fine *quod ſi aliquando in eumdem cultum aliquis irrepſiſſet error, non ex traditione maiorum, ſed priuato aliquorum inſtitu, Deus non permiſſit illum diù latere, ſed alicui Sancto viro rem aperire non praetermiſit, quod & de S. Martino Seuerus in vita S. Martini cap.* 8. *ſcribit.* His adde *Lezanam de Canonizatione Sanct. Conſulto* 1. *num.* 223. qui pro honore Eccleſiæ in eoſdem ſenſus erumpit ſub his verbis: *Licet Deus per aliquod tempus, permittat popoles fideles errare in exiſtimatione Sanctitatis, vt exemplo Ebrioſi, de quo in cap.* 1. *de Reliquijs, & Vener. SS. ſuprà demonſtratum, & legitur de quoddam Inſtitutore hæreſis fratricellorum, non tamen permittit hoc per valde longum tempus.* Et vadit cum *Simonet. in relat.* ſuper proceſsù Sancti Franciſci de Paula §. *vltra hæc, quod ratione.* Quomodo ergo verum erit, quod Deus non permittit Eccleſiam ſuam diù errare in cultu Reliquiarum, ſi diù, & per plura ſæcula, verum eſt fideles coluiſſe Corpus exiſtens in Scurolo &c. falsò creditum Auguſtini? ſeù ſi verum eſt tot Auguſtini filios præſentibus, ac priſcis temporibus vixiſſe illo modo Violatores Corporis Chriſti, cum *Hieron.* relatus in *cap. Si quis dixerit ij. quæſt.* 1. conſtanter hæc aſſerat: *Si quis dixerit, non iuſtum, iuſtum, abominabilis eſt Deo, ſi verò non Sanctum, Sanctum, Chriſti Corpus violat.*

Dicent ad hæc Oppoſitores rectè à PP. Canonicis, & noſtris alijſque fidelibus litari preces Auguſtino in Scurolo, ſed non quia putent reuera ibi perſeuerare Corpus ipſius, ſed quia ibi fuit, ad exemplum eorum, qui peregrinantur Hieroſolymam, non, iam, vt videant Corpus Chriſti, quod in Cœlos aſcendit, ſed vt adorent eum in loco in quo ſteterunt pedes eius, de quibus proindè *Paulinus Epiſt. ij. ad Seuerum,* relatus à *Bellarm. cap.* 8. *de cultu Sanct. lib.* 3. ait: *Non alitèr affectus homines ad Hieroſolimam rapit, niſi vt loca, in quibus corporalitèr præſens fuit Chriſtus, videant, atque contingant.*

Sed contra eſt; Quia iam ex ordine Translationum §. 1. euidentèr oſtendimus quieuiſſe, & adhuc quieſcere in Scurolo Corpus S. Patris, ad quæ reuiſenda Lectorem remitto, & præcipuè ad calcem illius, vbi Uernacula PP. Canonicorum, Noſtrorumque mens, ac adhæſio firma ad exiſtentiam ſignatam Sacroſancti pignoris, ſatis ſuperquè aperitur, licet animus ſit ex natura ſua difficilis probationis, vt cumulatis Auctoribus docet *Iordanus Pax lib.* 14. *tit.* 17. *de Prob. num.* 395. Quod ſi tot ibi, ac alibi iactis fundamentis aquieſcere nolint, cum nequeant demonſtrare alibi locum in terris, in quem ſint translata S. Patris Oſſa, iam neceſſe erit, vt ex ioco loquar, quod ea in Cœlos ſublata deprædicent, ſicuti credidit quondam Populus Romanus de Romuli Corpore, de quo *Tertullianus lib.* 4. *contra Marcionem cap.* 7. ſcribit: *Aſcendit in Cœlum Mendacij Scalis. Ita enim falſa perſuaſione decepti ſunt Romani, peierante Iulio Proculo, cum longè probabilius ſit clam in Senatu occiſum, Corpuſque diſſectum per fruſta, ſub Togis Senatorum aſportatum eſſe, & cum plebs ſollicita videretur Regis deſiderio, perſuaſiſſe illis, Romulum à Dijs in Cœlum raptum.* Ne ergo in has, vel duriores Oppoſitores conijciantur anguſtias, fateantur ſemel nobiſcum, quod ardet Lampas in Scurolo, ac ibi vſque nunc canitur Antiphona &c. in cultum præfati Corporis, vt ibi exiſtentis, ſeú quod veriús probat illius ibi exiſtentiam. Nam vt inter multas coniecturas, ex quibus arguitur filatio, hæc valde fortis eſt, ſi quis habitus, & tractatus fuit, vt filius, vt cum *Bart. in l.* 2. *poſt num.* 3. *ff. de lib. agnoſ. Butr. & Abb. in cap. Ex tranſmiſſa extrà, qui filij ſint legitimi*, ac alijs, *Vadit Iordanus Pax lib.* 14. *tit.* 17. *de Prob. num.* 332. Ità à pari naſcitur coniectura paternitatis, ſi quis habitus, & tractatus fuit, vt Pater. Et ſic cum Patres Canonici, ac Noſtri Eremitani,

Lampadis, ac potiſſimum Antiphonæ quotidianæ obſequio ſemper habuerint pro Corpore paterno illud, quod diu latuit, ac modò elaboratum eſt in Scurolo, nonniſi pro Corpore S. Patris, accipi debet inuentum, cum potiſſimum probata iam ſit ſolitaria ibi eiuſdem tumulatio.

Per hæc autem plene Satisfit D. Meo, contra dictas coniecturas Lampadis, ac Antiphonæ alia via ſic excipienti: *Coniectura poſteà Lampadis continuè ardentis ante Altare dicti CONFESSORII, Antiphonæ quotidiè à Fratribus in eodem loco decantata, concurſus Aduenarum ad venerandum ipſum Corpus D. Auguſtini, vt prætenditur in dicto CONFESSORIO depoſitum, non ità euincunt intellectum, vt pariter cogatur credere, Oſſa nuper reperta eſſe eademmet D. Auguſtini, quia poteſt dari, quod ſint vbique recondita, & nondum fuerint inuenta.* Solum addo falſum eſſe, quod illæ coniecturæ non euincant intellectum, vt cogatur credere, Oſſa nuper reperta eſſe eademmet D. Auguſtini. Nam ex coniecturis legitimis, & inuictis, vt ſunt indubiè coniecturæ Lampadis, & Antiphonæ, veritas coniectata euidenter infertur ex *Antonio de Butrio in cap. Cum Bertoldus, extra de Sententia, & Re iudicata, & in cap. 1. eodem tit. ex Bart. in l. Non Codicillum Cod. de Teſtam., & in l. 1. in princi: ff. de noui operis nunciatione, Bald. in l. 1. Cod. de Nom. poſſeſ. & Ioannes de Imola in l. quantum ff. de re iudicata.* Et demùm quamuis gratis daretur illas ſeorſim ſumptas, tantum ſemiplenè probare, tamen negari non poteſt, quod ſimul iunctæ non conſtituant plenam probationem, ex *gloſſa in Verſ. legitimis in l. 2. ff. de excuſ. Tut. in cap. cum cauſam de prob. & in cap. veniens, verb, illorum, de teſtibus,* quæ etiam valent, vbi agitur de probanda identitate, vt *Maſcar. lib. 2. de Prob. concl.* 874. *num.* 6. cum duobus ſeqq. *Bart. in l. demonſtratio num.* 14. *ff. de condition. & demoſtr.* & potiſſimùm cum tendunt ad eumdem effectum, vt ſumus in caſu ex *Panor. in cap. cum dilectus num. 17. de ſucceſſ. ab inteſtato*, & facit textus in *Cap. 1. extra de Appelat. & in cap. veniens 1. de teſtibus*, ac docet fusè *Ioannes Petrus de Ferrarys Papienſis in ſua pract. in forma reſponſionis Rei num.* 14. Demum, & ſi illa omnia ſimul iuncta, tantum ſemiplenè probarent, quod tamen falſiſſimum eſt, adhuc obtineremus intentum, cum verſemur in antiquis, in quibus probatur ſufficienter identitas per ſemiplenam probationem, vt cum *Bart. Dec. Maſcardo*, ac per *cap. cum cauſam de Prob.* oſtendit *Iordanus Pax dict. lib. & tit. de prob. num.* 424.

Fortiorem nunc ijs addimus coniecturam fontis miraculoſi, qui iuxta Corpus S. Patris egurgitauit teſte *Leone X. in ſua Bulla dat.* 1517. quatenus in ea ait: *Ibique fons indeficientis aquæ, qui vſque in hodiernum diem effluens, oſtendit inexhauribilem ſapientiæ eius fontem*: Et hęc etiam expreſsè leguntur in exordio peruetuſti Codicis manuſcr. Bibliotecæ Ambroſiani, cui quædam S. Patris opuſcula ſunt inſerta ſub his verbis: *Quod autem in prædicta Eccleſia Corporis eius*, ſcilicet Auguſtini, *pretioſus theſaurus ſit reconditus, ſtupendo, ac euidenti miraculo eluceſcit. Siquidem in Crypta Eccleſiæ, in qua iacet, Puteus eſt, qui aliquot annis in die feſto eiuſdem ſuperabundans, Cryptam ſuperfluxit in ſignum, quod ſicuti illa ſordes diluit, ſic ſordes hæreticorum ab Eccleſia, effluens eius doctrina abſterſit.* Ferè eadem ſcribit *Vincentius Epiſcopus Beluacenſis in ſua hiſt. Eccleſ. lib. 23. cap. 145. de Confuſione, & ſubiectione Viſigothorum &c. Bernardus Guidonis Ordinis Prædicatorum*, qui *anno D.* 1330. eruditum Summorum Pontificum Catalogum exarauit, cuius manuſcriptum in D. Biblioteca extat in vita Gregorij, ac *Pennotus lib. 3. cap. 36. num.* 4. Ergo cum nimiùm inuerisimile ſit, quod cum præfato Leone X. tot alij Auctores a via veritatis exorbitauerint, & ſit inde indubitatum, quod Sacratiſſima Auguſtini Oſſa iuxtá prædictum fontem ſolitariè deliteſcebant, neceſſariò infertur, non eſſe niſi S. Patris Oſſa, quæ nuper inuenta ſunt iuxta Fontem. Etenim ex qualitate loci arguitur qualitas perſonæ, vt *Ant. Franciſcus*, apud *Panor. in cap. cum olim de conſuetudine in ver. tam. in ſeſſionibus ſub num.* 5. *Barboſa in l. potioris 5. Cod. de Officio Præfecti, & in l. nulli iudicium* 14. *de Officio Rectoris Prouinciæ num.* 1. & 2. Hinc ſignum, vel Imaginem Saluatoris, Crucis Sanctæ vel Sancti, humi appingere, vel apponere, aut alio in loco, in quo conculcari poſſit, vetitum eſt

ex eodem *Barb. in l. cum ſit nobis vniv. Cod. nemini licere ſignum Saluat. &c.* Hinc Sedes Apoſtolica arguit exiſtentiam Romani Pontificis in Vrbe Roma, cum ex Diuina diſpoſitione, & præcepto Romæ affixa ſit, nec ſinè cauſa in alium locum transferri queat, vt docet *Barb. lib. 1. de Iure Eccl. vniuerſ. cap. 1. de Summo Pontifice num. 33. & 34. Panor. in cap. per venerabilem extrà, qui filij ſint legitimi num. 1. & Innoc. in cap. expoſuit extrà de dilationibus*. Demum ne per infinita vagemur, certitudo loci conducit ad iudicandum, nùm calumnioſè crimen inferatur, & num crimen comiſſum ſit, ſicuti, & illius incertitudo arguit calumniam ex *Cap. 13. Danielis*. Ergo etiam in casù noſtro conducit ad iudicandam exiſtentiam Sacratiſſimi Corporis Auguſtini propter identitatem rationis. Et ſic &c.

Res adhuc exemplis hiſtoricis fiet clarior. *Ex Niceph. dict. lib. 14. Eccleſ. hiſt. cap. 8.* Zacharias Propheta reuelauit cuidam Agricolæ, nomine Calamero, qui degebat circa Eleuteropolim Paleſtinæ in quoddam vico, Nomine Cophar, ſatis euidenter exiſtentiam ſui Corporis, cum ei indigitauit loca, iuxta quæ erat occultatum, dicens: *Hic in duorum cubitorum altitudinem fodito à ſepto in hortum ipſum, eam viam verſus, quæ in Bitterebim oppidum ducit, & Arcas duas inuenies, exteriorem ligneam, interiorem plumbeam*. Et ad demonſtrandam magis ſignatum ſui Corporis depoſitionem adhuc loci qualitatem deſignat, ſic proſequens: *Reperies prætereà apud loculos eos, vas quoddam aqua repletum, ad cuius partem vtramque mediocres duo innoxij, & placidi ſerpentes circumuoluuntur*. Inſuper ex vetuſta quadam Hebræorum ſcriptura, teſte eodem *Niceph.* ibidem quæ complexa eſt factum Ioiadis Iudææ Regis, qui Zachariam vatem occidit, benè probatur exiſtentia ſignata Corporis huius Prophetæ, ex hoc, quod ſepultus inuentus ſit ad eius pedem, filius Ioiadis, ſub his verbis: *Cum Ioas Iudeæ Rex, Zachariam vatem occidiſſet, grauem eum, ſeptimo poſt die, domui ſuæ accepiſſe cladem fertur, & ex filijs, quem gratiſſimum habuerat, morte amiſiſſe. In quam ærumnam, cum ſe ira Diuina coniectum eſſe intellexiſſet, Puerum eum, ad Prophetæ pedes ſepelliſſe, veluti cauſam de iniuria illata dicentem. Hoc quidem ſic indicatum eſt*. Ergò a pari cum tot allata teſtimonia clament, Corpus S. Patris poſitum fuiſſe propè fontem non præexiſtentem, ſed qui diuinitùs, iuxta ipſum ſcaturijt in totius Vrbis, ac potiſſimùm infirmorum ſolamen, vt fuit ille, qui exiliuit propè Corpus Martyris Iulitæ teſte *Baronio tom. 2. Annalium anno D. 304. num. 68.* & inuentum ſit Corpus in Scurolo iuxta ipſum, ex hac paritèr iuxtapoſitione talium Reliquiarum ad fontem infertur tutè, illas non eſſe niſi Auguſtini, ſicuti etiàm ex eò, quod *Bonifacius VIII.* in dicta ſua Bulla: *Prò ſingulorum, dat. Romæ apud S. Petrum ij. Calend. Maij Pontif. ſui anno ij.* relata inter alias a *Mag. Ioſep. Sabbatino lib. 3. Vindic. §. 12.* dicat: *Et quoniam Altare Maius, & Altare inferius iuxta Corpus ipſius Beati Auguſtini per indiuiſum veniunt &c.* valet etiam arguere quod Corpus nuper inuentum ſit ſolius Auguſtini Corpus, ex quo etiam erat iuxta Altare inferius Scuroli.

Nèquè has rationes ſuo loco exturbat D. Meus ſic excipiens. *Alterá verò coniectura fontis, qui, vt dicitur, miraculosè ſcaturiuit de tempore primæuæ depoſitionis, non eſt comprobata, licet habeatur Puteus vicinus Capſæ marmoreæ nuper repertæ, in qua iacebant Oſſa modò ſuppoſita ipſamet D. Auguſtini, quia dictus Puteus eſt opus manufactum, vt videri poteſt ex illius ſtructura, & colligitur ex vsu ipſius aquæ ad prophana, dum eodem Puteo vtuntur Patres Canonici Regulares prò irrigatione viridiarij, cuius aqua ſanè non abuteretur illorum pietas, vbi prò certo haberent eſſe ipſummet fontem miraculosè emanatum tempore primæuæ depoſitionis*. Neque etiam vrget, quod D. Thomas in illo hymno. *Magne Pater Auguſtine &c.* de fonte hoc nullam mentionem faciat, vt obijcit *Auctor reſponſionis Apologeticæ &c. cap. 8. verſ. Ad primam ergo*.

Contrà enim eſt. Quia, & ſi aſſurgat ab humo Opus manufactum ad coercendam aquæ redundantiam in Scurolum, quæ contingere conſueuit in Feſto S. Patris, non tamen eſt arte procurata illius aquæ vena, teſte ipſomet *D. Parente*, qui vt refert *Ambroſius Coriolanus in Apologet. verit. 1. cap. 4. Lodouicus de Angelis lib. 6. cap. 5. fol. 232. verſ. & ex ijs* ac potiſſimum *Mag. Thomas de Herera in ſua reſp. paciſica ad*

4. Apolog.

4. Apolog. num. 14. Cuidam Ciui Papienſi Pontificalibus, & Monaſticis veſtibus ornatus apparuit, eique dixit: Si vis ſanus fieri, vade, viſita Corpus meum, & de aqua Putei mei bibe, qui ſurgens iuſſa impleuit, & mox ſanus factus, ea dipingi fecit in vna Columna Eccleſię Cum ergo conſtet de veritate, ex ore non modò dictorum Auctorum, ſed vel ipſius Sanctiſſimi Patris, Reliquæ aliæ in contrarium coniecturæ, obſiſtere nequeunt. His ſic ſtantibus in noſtram mentem cadere non poteſt, vel minimus in Religioſiſſimis Patribus Canonicis, eiuſdem Fontis abuſus.

Ad obiectum verò ſecundo loco, reſpondemus iſtum non eſſe bonum arguendi modum: D. Thomas in præfato Hymno nullam illius miraculoſi fontis mentionem facit; Ergo falſum eſt, quod ille fons non ſcateret de miraculo. Etenim valeret etiam inferre, quod de facto D. Patris Oſſa nunquam fuiſſent in Templum S. Petri à Luitprando translata, cum, & huius translationis in dicto Hymno nulla fiat mentio. Immò liceret quaſdam veritates Chatolicas in diſcrimen adducere, ſi ille liceret arguendi modus. Et ſic quia Euangeliſtæ nec omnia Chriſti facta, nec cuncta ſunt proſecuti dicta, vt ex *Ioanne 20. & 21. in fine, Paulo act. 20. & ex Hieron. Epiſt.* 102. docet fusè *Spondanus anno 34. num. 62.* liceret ea negare, cum tamen id ſit hæreticum. Hinc vt Summo Iure redarguuntur, qui ſenſerunt Magos Bethlem aduenientes non intraſſe Preſepe, ea leui ratione permoti, quod Matheus nullam de Præſepe mentionem habuerit, eo quia conſtans eſt Sanctorum Patrum Sententia, ſcilicet *Chriſoſt. in Math. 2. Homil. 6. & 7. Auguſt. ſem. 2. de Epiph. Hier. Epiſt.* 14. 17. 18. 27. vt refert *Spond. ad annum Chriſti 1. num. 7.* Sic iure magno corrigitur prædictus Auctor negans miraculoſum illius fontis ortum, eò quia D. Thomas in præfato Hymno de illo non habet verbum, cum aliundè eius certiores nos fecerit, vel ipſius Auguſtini teſtimonium.

§. V.

Identitas Reliquiarum &c. ex ſignis illius in manifeſtationem factis, euidenter oſtenditur.

SVnt in hac re aliqui adeò ſignorum Cæleſtium ſtudioſi, vt eos non vincat ratio, ſed ſenſus, non euidens, ſed viſum, non miraculùm veritatis, ſed miraculi veritas. Vellent iſti, vt verbis vtar *Chriſoſt. homil. 23. in Math.* videre mundari leproſos, dæmoniacos curari, Defunctos è Sepulcro exilire, vt inuenta in Scurolo &c. Oſſa, non alia, niſi Auguſtini credant, ac ſic ſpernunt hyſtorias, famam, traditionem, teſtes, ac communem hominum exiſtimationem, quæ eadem, nonniſi Auguſtini eſſe vſque nunc inſonuerunt, vt credant. Aduerſus hos calamum ſuum idem *S. Pater* exacuit *lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. in princ.* inquiens: *Quiſquis adhuc prodigia, vt credat, inquirit, Magnum eſt ipſe prodigium, qui Mundo credente non credit.* Ratio autem eſt, quia ſicuti, vt ait *Ambroſius in cap. 12. 1. ad Corinth.* inter initia fieri oportuit miracula, vt fundamenta fidei acciperent firmitatem, nunc autem non opus eſt, quia populus populum adducit ad fidem, ità inter translationum Corporis S. Patris initia, quædam fieri oportuit miracula, quæ recitat *Oldradus in ſua Epiſt.* ſæpe dicta. ac leguntur in dicta parua Chronica de Martyribus Ciuitatis Brixiæ à nobis in 1. §. relata per extenſum, vt pietas populi erga S. Patrem profundiora iaceret indubitatæ de ipſius Corpore fidei fundamenta; Nunc autem, cum tot ſuppetant prò firmanda harum Reliquiarum identitate, non opus eſt illis, quia homo hominem, populus populum via traditionis &c. illarum adducit ad fidem.

Sed non hæc dicimus, quaſi excuſantes Auguſtinum, quod pro deſignanda ſui Corporis identitate, nullum, quod falſum eſt miraculum, expenderit, ſed dolentes tentari Deum, vt pro Auguſtini gloria, miracula per ipſum expendat. Certum eſt enim, vt docet *Suarez. de virtute, & ſtatu Religionis lib. 1. de Irreligioſitate cap. 2. de Tentatione*

Dei

Dei formali num. 9. quod ille verè tentat Deum ad ferendum ſignum pro indubitata veritatis indagine, in quo *ſupponitur ſufficiens poteſtas ad cognoſcendam veritatem, de qua dubitat*; Seú qui prætermiſſis medijs ordinarijs a Deo relictis ad veritatem agnoſcendam, extraordinarium ſignum petit à Deo, indubié magis tentat Deum, quam ſperet in ipſo, vt idem Auctor num. ſequenti cum *S. P. ibi de Ciuit. Dei cap.* 19. *& lib.* 22. *contrà Fauſtum cap.* 36. *& lib. de opere Monachorum cap.* 27. Huiuſmodi autem ſunt nonnulli, in quorum animò, omnis ratio pro identitate Reliquiarum ſterilis eſt, niſi conſenſum pariat ope miraculi.

Omnis igitur humana nunc ratio ſe abſcondat, ac tandem miraculis in Curia Epiſcopali productis dimicemus. Et quidem inter ſigna, quæ edidit Auguſtinus, illud primo loco ſe offert, quod de anno 1696. menſe Septembris, dum graui, ac pené deſperato affligaretur morbo D. Franciſcus Bernardinus Marcus Soliueta Cauſidicus huius Ciuitatis Papienſis, ac toto animi affectu defigeret oculos in quamdam tabellam, in qua erat Jmago Ieſus, Beatiſſimæ Virginis, ac Sancti Ioſeph, ſomno correptus fuit, in quo ter ſibi viſum fuit audire hæc verba: *Bibe Aquam D. Auguſtini, & ſaluus eris.* Non ſpreuit hanc vocem Ægrotus, & à ſomno excitatus, de eadem aqua potauit, ex qua remiſſum ſibi ſtatim calorem febris agnouit, ac deindè breui temporis ſpatio prorſus extinctum.

Certum eſt autèm, quod illa vox prophetica: bibe Aquam D. Auguſtini, & ſaluus eris, non ſapit, niſi naturam miraculi, vt Docet *D. Thomas* 2. 2. *q.* 172. & legitur *Petri cap.* 1. ſic. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetica, ſed Spiritu S. inſpirati, loquuti ſunt Sancti Dei homines.* Et conſequentèr, eſt ſupra omnes totius naturæ vires, & à Deo ſolo eſt ex eodem *D. Thoma* 2. 2. *q.* 95. *art.* 1. *Jamblic. de Myſterijs Egyptiorum ſegm.* 10. *cap.* 3. *Torre blanca in Epitome delict. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 12. & idcircò conſtituit indubitatum miraculum, vt *Caſſaneus in Catal. gloriæ Mundi* 3. *p. Conſider.* 49. *& Hoſt. in cap.* 1. *de Reliquijs, & Ven. Sanctorum verſ. Item quærendum eſt de miraculis*, & docet potiſſimum *Ambroſius de Sacramentis in cap. Reuera diſt.* 2. *de Conſecratione* ferè per totum.

Neque dicas non eſſe obſeruanda ſomnia, & conſequenter neque Prophetias ſomniatas vt eſt illa, quam adduximus.

Contrà enim eſt; Quia licet regularitèr ſomnia obſeruari non debeant, à Dæmonibus, ſe cogitationibus hominum per quædam imaginaria viſa commiſcentibus, cauſata, vt docet *Auguſtinus in lib. de natura Dæmonum* relatus in *cap. ſciendum §. primum ſciendum eſt* 26. *q.* 3. *Concilium Aquiſgranenſe cap.* 1. relatum in *cap. Epiſcopi §. Illud etiam* verſus finem, *& §. ſiquidem ipſe Sathanas* per totum 26. *q.* 5. tamen cum ſunt cœlitùs inſpirata vt ſumus in casù, nonniſi impiè ſpernuntur; Alitèr ſaluari non poſſet illud *Iob cap.* 33. *verſ.* 14. & ſeqq. dicens: *Semel loquitur Deus, & ſecundò id ipſum non repetit. Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo; Tunc aperit aures virorum, & erudiens inſtruit diſciplina*; Neque illud *num. cap.* 12. *verſ.* 6. vbi teſtatur, Deus quod per ſomnia noſtræ menti ſe inſinuat ſub his verbis: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in viſione apparebo ei, vel per ſomnia loquar ad illum*, ſubſiſteret, cum tamen illa loca, ſinè fidei iactù, ac ſiné ingenti horrore ſperni non poſſint. Cum ergo tot ſequantur abſurda omnium indifferentèr ſomniorum, neceſſe eſt inferre eſſe veneranda, quæ à Deo immittuntur; cum abſurdum ſemper euitari debeat ex *l. conuenticulum Cod. de Epiſc., & Clericis*, & valeat argumentum ab abſurdo euitando, vt *Thomas de Thomaſetis in Flor. legum reg.* 43. per *l. nam abſurdum ff. de bon. lib.* Et conſequenter &c.

Quod autem ſomnium illud D. Soliuetæ fuerit regulatum, ac inſpiratum à Deo, ex eo euincitur, quod ægrotus ex vi illius, non fuit abductus à cultù veri Dei, vel aliquo ſuperſtitionis errore præreptus, quod probaret Dæmoniacum fuiſſe ſomnium, iuxta id quod in Deuter. legitur præcepiſſe Moyſes Populo Dei ſic dicens: *Si ſurrexerit in medio tui Propheta, aut qui ſomnium dicat ſe vidiſſe, & prædixerit ſignum, atque*

porten-

portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoramus, & ſeruiamus eis, non audies verba Prophetæ aut ſomniatoris. Non fuit autem indubiè ægrotus ex vi illius ſomnij ad ſuperſtitionis errores illectus, cum recognoſcens imminutam ſibi febrim ex meritis D. Auguſtini, conuocatis repente familiaribus cæperit cum ijſdem recitare. *Te Deum Laudamus*.

Vim etiam his facit, quod cum ſequenti nocte ſibi videretur Ægrotus eſſe ante Altare inferius Scuroli, apparuit ei paritér in ſomnijs, emergens, ex Capſa, ſeù vrna, quæ eſt retrò ad ipſum Altare, Auguſtinus in habitú Pontificali, qui ſubleuata manú ipſum benedixit, ac de recuperanda ſalute certum fecit, vt poſtea viſum fuit. Certum enim ijſdem rationibus eſſe debet hanc apparitionem veram fuiſſe, non ludificationem, cum de facto D. Soliuetta in ſignum gratiæ receptæ, ſequenti manè expergefactus, miſerit ad dictum Altare inferius accenſam ab igne gratitudinis facem. Sic hac ratione *Mag. Herrera reſpon. pacifica quarta ad* §. 4. *Apologetici* §. 3. *num.* 94. cumulatis Auctoribus prædicat apparitionem S. P. Viro cuidam nobili genere, Senenſi, cui non planè dormienti, ac decepto Ticini á Cuſtode ſui Sacratiſſimi Corporis, verùm digitum pollicem ſericò inuolutum porrexit. Sic apparitionem eiuſdem S. Patris factam Alexandro IV. dormienti tribus noctibus ſibi immediatè ſuccedentibus cum Cuculla nigra, Zona pellicea &c. ac demùm cum magno Capite, ſed membris exilibus, venerantur apud eumdem *Magiſtrum Herreram ibidem num.* 103. non ſolùm viginti, & amplius Auctores, ſed, & quidam Balæus Hæretic. vt idem Auctor ibidem. Et demum miraculoſa cenſetur eiuſdem S. Patris apparitio facta paritèr in ſomnis B. Iordano de Saxonia, & ab eodem fusò calamo recitata *lib. .. Vitas Fratrum cap.* 18. *pag.* 44., vi cuius Corpus S. Patris Ordini noſtro reſtituendum cum Templo S. Petri ad Cœlum Aureum, dabatur intelligi; Ergo, & prædicta apparitio eſt miraculoſa, ſicut, & illa reſtitutio Sanitatis, vt ad interceſſionem S. Patris ſequtam, cum probetur illius inuocatio, vt docet *Lezana de Canonizatione Sanctorum Conſul.* 1. §. 2. *num.* 226.

Nec obeſt, ſi dicatur ad rationem miraculi requiri, quod fiat in inſtanti, vt *Paulus Zachias q. Medico Legalium lib.* 10. *conſ.* 9. *num.* 16. cum *Maluetio de Canonizatione SS. dub.* 3. *num.* 25. *Gemin. in cap. vnico num.* 17. *de Reliquijs, & Vener. SS. in* 6. illam autem reſtitutionem Sanctitatis contigiſſe in tempore, & ſic adſcribi poſſe naturæ, quæ operatur per temporaneam alterationem ex *Ariſt. lib.* 6. *Phyſ. textu* 74. & conſequentèr non dici miraculoſam, cum ſupra naturæ vires non aſſurgat ex *Barb. de Officio, & Poteſt. Epiſcopi alleg.* 97. *Maluez. de Canonizatione SS. dub.* 3. *num.* 40. *Mart. del Rio diſquiſ. Magic. q.* 3. *lib.* 2.

Contrà enim eſt, quia non eſt adæquata ratio conſtitutiua miraculi, quod opus quomodolibet fiat in inſtanti, cum niſi aliud addatur, & hic modus agendi, non ſemper naturæ vires excedat. Hinc *Paulus Zachias quæſt. Medico Legalium lib.* 10. *conſ.* 6. *verſ. Verum enim verò* reſoluit fieri aliquas ſanationes inſtantaneas in morbis potiſſimùm acutis ope naturæ, ſi duæ conditiones aſſiſtant, quas ſic deſcribit. *Prima conditio eſt, quod in ſanationibus inſtantaneis, quæ natura ope contingunt, ſemper præcedat Criſis. Nam infirmi poſſunt quidem de repente, & in inſtanti deficere abſque Criſi, ſed nullo modo ſanari abſque Criſi. Verba ſunt ipſius Galeni lib.* 3. *de Criſibus cap.* 9. *Altera conditio eſt &c. vt Criſis facta in via naturæ ſemper ſit cum aliqua manifeſta, & inſigni excretione, vt demonſtratum eſt á Galeno lib.* 2. *de diebus decret. cap.* 5. Id ipſum docet *lib.* 4. *quæſt. Medico Legalium tit.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 13.

Ut autem ſanatio, ad hoc vt ſit miraculoſa, non ſatis eſt regularitèr, quod fiat in inſtanti, ſed inſuper eſt neceſſarium, quod ſinè Criſi, ac vlla inſigni euacuatione contingat ex eodem, ſic ad hoc, vt non ſit miraculoſa, non ſatis eſt, quod fiat in tempore, ſed inſuper neceſſarium eſt, vt natura ſit diſpoſita ad talem effectum producendum. Quod ſi ſit indiſpoſita, effectus ei proueniens, neceſſarió erit miraculoſus. Sic Manna, licet alias naturalitèr deſcendat, tamen in deſerto, ob indiſpoſitionem tunc cauſarum naturalium, miraculosè deſcendit in tempore, vt benè *Zachias lib.* 10. *Quæſt. Medico*

Legalium

Legalium conſ. 9. num, 3. Sic *Auguſtinus lib. 22. de Ciuit. Dei cap.* 8. narrat reſtitutionem viſus miraculosè factam in Villa Victoriana, quæ ab Hippone Regio minùs triginta millibus abeſt, ad interceſſionem SS. Geruaſij, & Prothaſij, in perſona cuiuſdam Pueri, quem dæmon inuaſerat, & ad multorum preces poſtea reliquerat; ſed mortuo ſimilem. Etenim vt narrat S. Pater, *Oculus eius in Maxillam fuſus tenui venula, ab interiori quaſi radice pendebat, totumque eius medium, quod nigellum fuerat, albicauerat. Quo viſo &c. ſe omnes, in Orationem pro illo ſtrauerant, quamuis eum ſana mente ſtare gauderent. Rurſum tamen propter Oculum eius contriſtati, Medicum quærendum eſſe dicebant; Ibi Maritus Sororis eius, qui eum illò detulerat, potens eſt, inquit, Deus Sanctorum Orationibus, qui fugauit Dæmonem, lumen ei reddere. Tunc ſicut potuit, oculum lapſum, atque pendentem, loco ſuo reuocatum, ligauit Orario; nec niſi poſt ſeptem dies putauit eſſe ſoluendum, quod cum feciſſet, ſaniſſimum inuenit.* Hæc autem reſtitutio ipſius, facta in tempore, ſcilicet ſpatio ſeptem dierum, non alia de cauſa, non deſinit habere vernaculam naturam miraculi; niſi quia natura illius Pueri, nec in tempore magno, vel paruo erat diſpoſita ad viſus recuperationem. Demùm litem dirimat *Marcus cap.* 8. circa medium, vbi magnum refert miraculum de Cæco à Chriſto, temporaneo tantùm opere illuminato ſuo his verbis circà medium: *Et veniunt Bethſaidam, & adducunt ei Cæcum, & rogabant eum, vt illum tangeret, & apprehenſa manu Cæci eduxit eum extrà Vicum, & expuens in oculos eius, impoſitis manibus ſuis, interrogauit eum, ſi quod videret, & aſpiciens ait: Video homines, velut Arbores ambulantes. Deindè iterum impoſuit manus ſuper oculos eius, & cæpit videre omnia, & miſit illum in Domum ſuam; dicens; Vade in Domum tuam &c.* Non ergò eſt contrá naturam miraculi, quod fiat in tempore, accedente indiſpoſitione naturæ ad opus, à quo patitur, vt præſumi debet in casù noſtro, ne dicamus, quod illa prophetica, terque repetita verba: *Bibe Aquam &c.* ac illa apparitio S. Patris eò tendant, vt commendent opera naturæ non gratiæ.

Deindè etiamſi gratis daremus antedictam ſanitatis reſtitutionem factam D. Soliuettæ, fuiſſe vndequaquè naturalem, quod tamen eſt falſum iuxta prætacta principia, hoc tamén ab illa ter repetita prophetia: *Bibe Aquam* &c. & ſubſequente eiuſdem S. Patris apparitione in ſomnijs, vim miraculi auferre non poteſt. Etenim vtile non debet per inutile vitiari ex *cap. vtile 28. de regulis Iuris in 6.* & faciunt exempla, quæ loguntur in *cap. Turbat. & cap. ſi quid veri diſt, 37. cap. Dominus declarauit 1. q. 1. cap. Apoſtolica, & ibi notata extra de Donat. cap. Raynutius, & cap. Raynaldus, extra de Teſt.* ſic *D. P. in dict. lib. & cap. de Ciuitate Dei,* inter miracula ad interceſſionem Prothomartyris Stephani, facta, recenſet etiam ſanationem cuiuſdam Podagrici mixtam ex miraculo, ſcilicet reuelatione remedij, vt reor, naturalis, & non miraculo, ſcilicet ipſo remedio reuelato. Sunt autem hæc S. P. verba. *Sanati ſunt illic per eundem Martyrem etiam Podagrici duo, vnus Ciuis, Peregrinus vnus. Sed Ciuis omnimodò, Peregrinus autem per reuelationem, quid adhiberet, quando doleret, audiuit; Et cum hoc fecerit, dolor continuò conquieſcit.* Sic etiam *Niceph. Calliſt. lib. 3. Eccleſ. hiſt. cap. 35. de Martyrio Polycarpi Epiſcopi Smyrnæi*, ardentes inter prunas, illæſo olim pede, exultantis, narrat factúm mixtum ex miraculo, quatenùs ignis aduerſus eundem Sanctum accenſus, fornicis, ſeù Cameræ ſpeciem præbuit, ſuauem expirans cum flammis odorem, & ſimul ex non miraculo, quia ignis ille, à cauſis erat naturalibus. Verba autem Auctoris ſunt hæc. *Vt ignem homines accenderunt, & ingens illuxit flamma, miraculum viſum eſt alieis, quibus id quidem videre datum eſt, ex quibus aliqui ſeruati ſunt, qui ea, quæ audiſſent reliquis annunciarent. Etenim ignis* (Ecce opus Naturæ) *fornicis, ſeù Cameræ ſpeciem præbuit, quæ quaſi velum nauigij vento inflatum, Corpus omne circumdedit Martyris. Præterea verò, & odor ſuauis, ceù thuris, alteriuſuè precioſi aromatis fragrantis ad nos eſt perlatus.* Ecce opus ſolius gratiæ, & miraculi. Hæc cum ita ſint ſemper habemus intentum, ſiuè dicamus illud, a nobis narratum factum in Perſona D. Soliuettæ eſſe vndequaquè miraculoſum, ſiuè in ſola prophetia, & apparitione retinere rationem miraculi.

Quæ diximus de facto S. Patris in Perſona D. Solutæ, etiam extendimus ad aliud eiuſdem, quod impleuit in perſona Annæ Franciſcæ Vxoris Pauli Saiæ Pelliciarij, cui, cum haberet infantem diuturna, & continua febri laborantem, tandem Auguſtinus per tres noctes, Pontificali indutus Paludamento, in ſomnis apparuit, ac tertia nocte iuſſit, vt iret ad Eccleſiam ſuam, in qua filij expectaret ſanitatem. Perrexit illa ad eiuſdem Eccleſiæ Scurolum, ac deuote ibi orando, ac aſpergendo eundem Aqua Sacri Putei, ex incontinenti cæpit conualeſcere puer, & poſt paucos dies ſalutem perfectam obtinuit. Solum addo, me non putare, quod Aliquis eam aſperſionem ſuperſtitionis arguere poſſit. Nobis enim res eſt cum Chatolicis, non cum *Thoma Vualdenſi*, qui vt teſtatur *Bellarm. lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 7.* aſſerebat benedictionem Aquę &c. eſſe veram practicam Negromantię, in quem errorem etiam lapſi fuerunt olim Boemi, *teſte Ænea Siluio*, qui fuit poſtea *Pius II. lib. de Origine Boemorum cap. 35.* Nec ſolùm fiunt miracula, ex Aqua à Sacerdote benedicta, vt legitur apud *Epiph. hæres 30. de Ioſeph*, qui ex illa incantationes abrupit, & de S. Fortunato apud *Greg. lib. 1. Dialog. cap.* 10. qui ſolius Aquæ Benedictæ aſperſione, confractum cuiuſdam femur, priſtinæ integritati reſtituit, ſed, & cum Aqua, quæ vel diuinitus ſcateat, vt ſumus in caſu, vel a Deo ad ſupernaturalia ſuæ virtutis ſigna oſtendenda, ſeligitur. Hinc *lib. 4. Regum cap.* 5. ad curandam lepram, Naaman Syri adhibuit Aquam Iordanis, & *num.* 19. Iudei ex Aqua permiſta cineribus, a legalibus ſordibus expiabantur. Cum ergo hic non ſit periculum ſuperſtitionis, ſubſiſtit illa aſperſio Pueri ex Aqua Scuroli facta, & cum ea rationes adductæ pro primo caſu.

Quæ verò ad ſanitatem aquiſitam in tempore, natura ad eam ſic recuperandam, indiſpoſita, direximus, aptamus etiam D. Carolo Emmanueli Marcellino, Canonico Cathedralis Eccleſiæ, qui audiens inuentas S. Auguſtini Reliquias ad eaſdem toto corde ſe inclinauit, vt magna liberaretur Capitis vertigine; ex qua in ipſa Miſſæ celebratione, non poterat ſe vertere ad populum, niſi cum labore, ſuſtentando ſe ad Altare cum altera ex manibus. Itaque ſe contulit ad Scurolum, vbi poſt duorum dierum orationem, expertus fuit ſuam Capitis laſſitudinem valde imminutam, ac maiora in dies ſanitatis incrementa. Solùm etiam hic addo, quod ſumus in caſu vertiginis, pluſquam grauis, in qua nempé Caput ipſum, & Corpus Ægrotantis videtur circumagi, vt definit Paulus Zachias, *quaſt. Medico Legalium lib. 8. tit. 1. queſt. 6. num.* 4. Et ſic verſamur in caſu vertiginis, quæ fit per proprium cerebri affectum, vt reſoluit idem Auctor ibi num. 5. & conſequentèr in morbo ad cuius etiam moroſam ſanationem, natura præſumitur indiſpoſita, & ſolum capax, vt locum aperiat miraculo.

Valeat pro omnibus indubitatum ex omni parte miraculum, quod ſic referimus: Poſt inuentas S. Patris Reliquias, dum magno æſtuaret febris calore filius Illuſtriſſimi D. Senatoris, Comitis Hieronymi Gambaranæ, Comitiſſa Mater, ad filij collum appendit amuletum, quod Sacras Auguſtini exuuias, in illarum vriſitatione tetigerat, & Ea ſimul corde verſa ad Sanctum prò ſalute filij, ſtatim hic liberatus fuit a febre, & exiuit à lecto ad gloriam S. Patris.

Prò huius facti inſignis examine ſuppono, non tam Reliquias eſſe inſtrumenta miraculi, quam ea, quæ ipſas contingunt. Hinc *S. Pater lib. 22. de Ciuit. Dei cap.* 8. apud *Bellarm. tom. 5. lib. 2. de imaginibus SS. cap. 27. num.* 20. ſcribit, ad terram Sanctam ex Monte Caluariæ allatam in Africam, miracula fieri ſolita, & ſe cum alio Epiſcopo eam infodiſſe, & orationis locum ſuper eam conſtituiſſe. Vnde vt ait *Paulinus Epiſt. ij. ad ſeuerum*, apud eundem *Bellarm. lib. 3. de cultu SS. cap. 8. num.* 20. *non alitèr affectus homines ad Hieroſolymam rapit, niſi vt loca, in quibus Corporalitèr præſens fuit Chriſtus, videant, atque contingant.* Sic *Spondanus ad annum D: 55. num.* 2. ex Euangeliſtis ait, tantas feciſſe Deum virtutes per manus Pauli, vt etiam ſuper languidos, eius Sudarijs, & ſemecinctijs impoſitis, recederent ab eis languores, & Spiritus nequam egrederentur. Et vt propiùs ad rem accedamus, licet ex *Ammiano lib.* 17. narret *Spond. ad annum D.* 358. *num.* 6. quod Conſtantius Imperator, cruciatibus,

& tor-

& tormentis ſupponi voluit illos, qui ad remedia Quartanæ, vel alterius morbi, amuleta à Magis, Maleficis &c. facta geſtarent, ac eadem damnauerit *Auguſt. de tempore ſer. 23. de diuerſis* apud eumdem *Spond. anno D.* 418. *num. 6.* tamen hæc conſecrata alicuius Corporis Sancti contactu, ſemper licuit ad collum appendere, vel geſtare. Hinc *S. Gregorius Papa apud eumdem Spond. ad annum D. 604. num. 1.* ad Theodelindam Longobardorum Reginam, amuletum ex Ligno S. Crucis continens, & lectionem S. Euangelij thecâ perſica incluſam miſit, vt ad Adaluualdi eius filij recentèr nati collum appenderet.

His poſitis non eſt dubium, quin illud amuletum fuerit ſanctè appenſum ad collum filij ægrotantis á D. Comitiſſa Gambarana, & quod liberatio eiuſdem a febri non ſit miraculoſa. Fuit enim in inſtanti facta, & ſinè aliqua Criſi, cum Puer liberatus ſtatim exiuerit de lecto, quæ neceſſariò inferunt ſanationem miraculoſam, vt præter Iura ſuperius allata, ac Doctorum teſtimonia, firmat *Lezana de Canonizatione SS. Conſulto 1. num. 268.* ſub his verbis: *Miraculum reſultat ex inſtantanea liberatione à longa infirmitate ſine aliquo remedio humano.* Et tandem, quod hoc miraculum patratum fuerit in manifeſtationem Corporis S. Patris, patet ex Inuocatione non ſolum eiuſdem, ſed ex amuleto, quod hauſit eam virtutem ex contactu illius in actù Viſitationis. Immò potuiſſet eſſe ſufficiens tanti prodigij inſtrumentum, ſi ſolam Capſam tetigiſſet amuletum illud, in qua iacebant exuuiæ Sacræ, cum *S. Ambroſius ſer. de Sanctis, Geruaſio, & Prothaſio, & Epiſt. ad Sororem* de eiſdem, inter multa miracula ad eorum interceſſionem facta, referat etiam Cęcum quemdam, nomine Seuerum fuiſſe curatum ad contactum ſolius feretri, quo Reliquiæ portabantur.

Dicent ad hęc Oppoſitores non conſtare de hoc inſigni miraculo in Iudicio, cùm iſta D. Comitiſſa non fuerit à Curia Epiſcopali interrogata &c. & ſic ei non credi, ac nihil probare.

Sed reſpondeo, quod ij, ad quos intereſt, poſſunt facere pró veritate eruenda id, quod ſe feciſſe narrat *Auguſtinus in dict. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8.* cum quadam Nobiliſſima Fęmina Vrbis Chartaginenſis, ſanata ex Cancro in Mammilla, quę tamen nulli miraculum reuelauerat, ſub his verbis: *Hac ego cum audiſſem, & vehementer ſtomacharer in illa Ciuitate, atque in illa perſona, non vtique obſcura, factum tám ingens miraculum ſic latere, hinc eam, & admonendam, & penè obiurgandam putaui. Quæ cum mihi reſpondiſſet non ſe indè tacuiſſe, quæſiui ab eis, quas fortè tunc Matronas amiciſſimas ſecùm habebat, vtrum hoc anteà ſcirent. Reſponderunt ſe omninò neſciſſe. Ecce inquam, quomodo non taces, vt nec iſtæ audiant, quæ tibi tanta familiaritate iunguntur. Et quia breuitèr ab ea quæſieram, feci, vt illis audientibus, multumque mirantibus, & glorificantibus Deum, totum ex ordine, quemadmodúm geſtum fuerat, indicaret.* Habent ergo ex Auguſtino, qui illa nobis obijciunt, quomodo certi eſſe poſſint de tali miraculo Auguſtini, ac alijs, quę breuitatis cauſa pretereo.

Interea Oppoſitores rationes noſtras ſcrutari non dedignentur, argumentorum vim expendere, ac miracula rimari, vt vnanimi calamo poſſimus cum *Ambroſio tom. 3. lib. x. in dict. Epiſt. 85. ad Sororem ſuam* in publicæ expectationis triumphum, ac Magni Eccleſiæ Magiſtri gloriam non inutilitèr concludere: *Condamus ergo Reliquias Sacroſanctas, & dignis ædibus inuehamus*, Amen.

Omnia hucuſque á me ſcripta, Sapientum cenſurę,
ac infallibili S. Matris Eccleſię iudicio,
humili ac Chatolico corde
ſubijcio.